BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
26K
11

FAUSTO STAGI
ROMA
Via S. Chiara
N. 60
LIBRAIO E EDITORE

Digitized by Google

12.26.K.11

commodato ad philosophiam, atq; ita ut neque conferat eius argumenta, amans ueritatis, ad certitudinem alterius immotæ doctrinæ, cum cogitabit imbecillitatem communem, & difficultatẽ coniectandi de materiæ qualitatibus: neque tamen desperet considerationem, quantum possibilis est, cum multos euentus potiores, ac maioris momenti, in natura rerum manifestè appareat oriri à causa cœlesti. Solet autem fieri, ut artes difficiliores uulgi iudicijs uituperentur. Si quis autem doctrinam illam, quam dixi priorem esse ordine & potestate, calumniatur, planè cæcus existimandus est. Sed hæc altera facilius reprehendi potest. Aut enim, quia coniectura in aliquibus difficilis est, prorsus incerta dicitur. Alij, quia decreta uitari non possunt, calumniantur eam tanquam inutilem. Conabimur ergo breuiter ante particularẽ præceptorũ recitationem disserere, quatenus & possibilis sit, & utilis prædictio. Ac primùm de possibili.

QVOD

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

## QVOD SIT ALIQVA prædictionum Astronomicarũ scientia, & quò usq; progredi possit.

PRincipiò euidentissimum est, & non indiget uerbosa confirmatione, diffundi uim quandam à cœlo in omnia quæ circa terram sunt, & in naturam mutationibus obnoxiam: uidelicet in prima elementa, quæ sub luna sunt: in ignem & aerem, quæ cœli motibus agitantur, & reliqua inferiora cõtinent, & adficiunt terram & aquam, plantas & animantia. Nam & sol unà cum cœlo semper aliter afficit terrestria, non solum iuxta quatuor uices anni, cum quibus congruunt generationes animantium, plantarum fœcunditates, aquarum fluxus, & corporum mutationes: uerùm etiã quotidiano circuitu calefaciens, humectãs, desiccans, & refrigerans certo ordine, & modo conueniente cæteris stellis, & nostro uerticali puncto. Lunam uerò, ut proximam terræ, influere in terre-

terrena, apparet eo, quòd plurima animantia & inanimata sentiunt uim luminis ac motus ipsius. Flumina crescunt & decrescunt unà cum ipsa: imitantur eius ortum & occasum, maris refluxus & affluxus: plantæ & animantia, uel tota, uel partes aliquæ, turgent ea crescente, & arescunt ea decrescente.

Deinde stellæ, tum fixæ tum errantes, significant in aere uel æstus, uel niues: unde & cætera terrena adficiuntur. Ipsę uerò inter se congressæ miscẽt potestatem, & uarias efficiunt mutationes: in quibus etsi antecellit uis solis, pro generali constitutione, tamen reliquæ aut adijciũt aut diminuũt aliquid.

Ac lunæ quidem effectus manifesti ores & crebriores sunt: ut in coniunctione, quadrantibus, & plenilunijs apparet. Reliquæ uerò stellæ lõgiora interualla habent, & obscuriores effectiones, dum aliàs apparent, aliàs occultantur, aliàs ad latitudinem aliquã discedunt. Quæ si quis considerabit, comperiet non solum corpora,

post-

ad solem: qui tamen, quia propter inscitiam nec tempora nec loca nota habent, nec planetarũ circuitus, qui magnã uim habent, norũt, sæpe fallũtur.

Quid autem obstabit, eum qui omnium stellarũ, & solis & lunæ motus, tempora & loca nouit, & ex perpetua ueteri obseruatione earum naturas didicit, non quales in ipso cœlo sunt, sed quales habeant facultates, & quos effectus: ut quòd sol calefacit, luna humectat: hunc inquam, quid uetat physica consideratione, & aptè, ex collatione omnium, tum qualitates temporum iuxta positus stellarũ prædicere, quòd futura sint calidiora aut humidiora, tum de hominum temperamẽtis ex cœli qualitate iudicare: uelut corpus alicuius esse tale, & mores animi tales, & secuturos esse tales euentus, quia cœli qualitas tẽperamento cõueniẽs & idonea sit ad bonũ habitũ: aut sit contraria, & detrimenta adferat.

Ac tales effectus existere, & uera arte prospici ac prædici posse, ex his & similibus liquet.

Quòd

Quod autem aliqui calumniantur artem tanquam impossibilem, etsi cau sæ prætexuntur, tamen has inanes esse sic intelligi poterit. Primùm, cũ indocti, ut in consideratione magna & multiplici: sæpe hallucinentur: accidit, ut, si qua uera prædicuntur, casu magis quàm arte aliqua prædicta existimentur. Sed iniquum est arti adscribere errata, quæ ab imbecillitate professorũ oriuntur. Præterea multi quæstus causa alias diuinationes uenditant, nomine & dignitate huius artis, ac uulgo imponunt, multa prædicẽtes, quæ non significantur naturalibus causis.

Horum uanitate deprehensa, sagaciores aliqui etiam cæteras prędictiones, quæ à naturalibus causis sumuntur, suspectas habent & damnant. Id aũt iniustũ est. Nam nec philosophia ideo tollenda est è medio, quòd nonnulli studium eius simulantes, praui sunt & impostores. Cæterùm manifestum est, etiã rectè eruditos in disciplinis, qui magna cum diligentia & dexteritate in hac arte uersantur, sępe falli, non

nõ propter eas causas quas iam recensui, sed propter rei naturam & imbecillitatem humani ingenij, quod magnitudinem artis non assequitur.

Primùm enim omnis doctrina de materiæ qualitate, ac præsertim ex multis diuersisq; rebus concretæ, coniecturis potius quàm certa scientia constat. Deinde accedit & hoc, quòd ueteres stellarum configurationes, à quibus exempla iudiciorũ sumimus, nunquam omnino congruunt ad positũ siderũ sequenti tempore. Nam magis aut minus post longa interualla congruere possunt, prorsus autem conuenire nequaquam. Nunquam enim, aut certè nõ ijs spacijs quæ comprehendere homines possunt, fieri poterit, ut redeat idem positus siderum, & eadem terræ constitutio. Nisi quis inani ostentatione iactare uelit earum rerũ perceptionẽ, quæ cõprehẽdi nunquã possunt. Dissimilitudo igitur exemplorum causa est, cur in prædicti onibus aliquid sit errorum. Contur bant ergo iudicia de aere, hanc ipsam

ob causam, quòd non redeunt similes motus, etiamsi nunc de alijs causis uariantibus aerem non dicam.

Quòd uerò ad genethliaca attinet, & iudicia de singulorum temperamẽtis, multa concurrunt alia, quæ qualitates in mixtis uariant.

Primùm enim diuersitas seminis, ad suam cuiusq; generationis naturã, præcipuam uim confert: adeoq; dominatur, ut in eodem aere & horizonte, tamen singula semina sui generis animantia gignant, humanũ hominem, equinum equum.

Deinde regionũ diuersitas nõ exigua discrimina in nascentibus efficit, etiam cum eadẽ sunt semina, ut hominũ: & cum eodẽ cœli constitutio est, tamen magna est in diuersis regionibus dissimilitudo, quod ad corpora & ad animos attinet. Deniq; etiã cum illa quæ iam dixi, paria sunt, tamẽ educationes & consuetudines discrimina faciunt, in parte aliqua temperamenti, aut morum, aut casuum.

Etsi igitur uis maxima est circumfusi cœ-

si cœli, à quo & cætera quæ diximus suam uim sumpserunt, cum ipsa cœlo nihil conferant: tamen nisi quis ea cũ cœlestibus causis coniunxerit, sæpe errabit, si uolet omnes significationes à cœli motu sumere, etiam eas quæ non prorsus à cœlo pendent. Hæc cum ita se habeant, etiã interdũ fallunt prædictiones, nõ tamen ars tota damnanda est. Vt neq; gubernandi artem reijcimus, etiãsi sæpe fiunt naufragia: sed decet nos, ut in tãta & diuina professione, grato animo amplecti tantũ, quãtum assequi possumus: nec postulare de omnibus rebus certitudinem, tanquam ab arte penitus cõprehensa hominum sagacitate: sed ornare eam, & reddere instructiorem ijs coniecturis, quæ aliunde sumẽdę sunt. Vtq; me dicis non uertimus uitio, cum de morbo ægrotantis, & de eius natura, quędam scisciantur: ita & hic non reprehendendum est, si qua de regionibus, genere, moribus, aut alijs accidentibus, requirenda esse dicemus.

## QVOD SIT VTILIS doctrina de effectibus cœlestibus.

Suprà breuiter expoſui, poſsibilem eſſe prædictionem, ex aſtrorum motibus ac natura ſumptã: & quòd ad accidentia aeris, ac ad eas hominum diſpoſitiones pertineat, quæ ab aere oriuntur, quæ ſunt primordia facultatum & actionum corporis & animi, & certis temporum momentis uenientes adfectus, aut morbi, & longeuitas ac uitæ breuitas, & alia quædam externa adiumenta aut detrimenta præcipua, naturali ordine naſcentibus copulata: ut cũ corpore res familiaris & conuictus, cum anima honores & dignitas, & horũ mutationes pro tempore. Nunc de utilitate, ut propoſitũ fuit dicemus. Sed prius cõſtituendum eſt, quid utile uelimus intelligi, & ad quem finem referri.

Si enim animi bona ſpectabimus, quid erit optabilius ad tranquillitatẽ, gaudiũ & oblectationem, multarũ rerum humanarũ & diuinarum conſide

rationes

ratione? Si uerò ad corporis utilitatẽ respicimus, hæc doctrina magis quàm ulla alia ostendit, quid cuiusq; constitutioni & temperamẽto proprium sit, & conueniens.

Quod uerò non conducit ad opes augendas, aut ad consequendos honores, commune crimen est huic parti cum tota philosophia: quæ quantum in ipsa est, talium bonorum non est largitrix, aut effectrix. Sed ut neq; hanc propterea damnamus, ita nec nostram scientiam abijciemus, cum quidem alias maiores utilitates adferat.

Qui uerò inutilem esse contendũt, hi nõ alia graui causa moueri se dicũt, nisi fatali necessitate. Videtur enim superuacuũ, prœuidere ea quibus occurrere diligentia, & quæ arte uitare non possumus. Sed id quoq; inconsideratè dicitur.

Primùm enim, in his quæ necessariò accidunt, ignorantia in re subita & improuisa, consternationes animorũ maiores & immoderatas lætitias efficit. Præuisio uerò adsuefacit & mo-



BIBLIOTECA NAZ... EMANUELE

deratur animum, ut ad uentura se confirmet, perinde ac si essent præsentia: ac præparat, nos ut placidè & constanter ea excipiamus.

Deinde nec existimandum est, singula hominibus à cœlesti causa accidere, tanquam prorsus ab immutabili & diuino decreto: & quasi lege lata de singulis, ut necessariò eueniant, nec possit alia causa obsistere. Nam ipse quidem motus cœlestis diuina quadã & æterna lege immutabilis est: sed inferiora fato naturali & mutabili uariãtur, cum quidem primas causas mutationum à cœlo accipiant, quæ accidũt eis subinde aliter per consequentiam.

Ac hominibus multa accidũt propter generalem constitutionem, non ex propria particularis naturæ qualitate: ut quando propter magnas aeris conuersiones, quæ difficulter caueri possunt, totæ gentes intereũt. sicut fit in ardoribus, aut pestilentia, aut diluuijs, cũ semper inferior causa succumbat maiori & ualidiori. Alia uerò eueniũt propter singulorũ naturale temperamen-

peramentum, ab exigua & imbecilli cœli actione orta. Hoc discrimine animaduerso, perspicuũ est, euentus, seu communes, seu particulares, qui à cœlo tantũ oriuntur, cui nulla uis obsistere potest, quodq; uim maiorem habet quolibet contrà nitente, necessariò accidere.

Alij uerò euentus, qui nõ à solo motu cœli oriuntur, si accedant opposita remedia, facilè mutantur: si uerò non adhibeantur remedia, euentus sequentur primas causas. Idq; fit inscientia hominum, nõ propter fatalẽ necessitatẽ. Idem accidit in omnibus quæ habent causas naturales, & principia. Nam & lapides & plantæ, & animantia, & uulnera, & morbi, & ægritudines, partim necessarias habent effectiones, partim impediri oppositis remedijs possunt.

Sic igitur existimandum est, naturę studiosos prædicere euentus, qui accidunt hominibus, tali doctrina, non inani aliqua opinione.

Quorum igitur euentuum multæ & magnę causæ sunt, hi sunt ineuitabi-

les: sed alij, qui leuiores habent causas, facile uitari possunt: sicut medici, qui morbos arte obseruāt, discernere possunt letales, ab ijs qui sunt curabiles.

De his igitur euentibus qui mutari possunt, sic audiemus Genethliacum, cum talis sit constitutio: Si fuerit conuersio temperamenti corporis secundum plus uel minus, iuxta hanc aeris qualitatem, morbus talis existet. Sic & medicus de ulceribus iudicans, futurum prædicet: quæ serpent, quæ putrefactionem facient. Sic & de metallis dici potest: Magnes ferrum trahit. Vtrumq; enim si suæ naturę relinquetur, & ignorentur impediētia, uim exercebit suę naturæ propriam & primam. Sed ulcera nec serpēt, nec putrefactionem facient, si contraria curatio accesserit: nec ferrum trahet magnes, si magneti allium fuerit illitum. Sicut igitur hęc impedientia fato aliquo naturali contrariam habent uim, sic & de inclinationibus à cœlo ortis dicatur, cum aut ignorātur futura, aut nō impediuntur contrarijs rebus, primę

natu

naturæ seriem sequentur. Sed cum præuidentur & cauentur naturalibus remedijs, quę uim habent contrariam quasi fatali ordine, aut prorsus auertũtur, aut mitigantur euentus.

Denicꝫ cum eadẽ uis cõspiciatur in quatuor anni partibus, & in particularibus corporum mutationibus, mirũ est cur omnes fateantur generales prędictiones possibiles esse, eisꝫ fidẽ habeant, & diligentiã in cauẽdo adhibeant. Nam quatuor anni tempora, & fixarum stellarum significationes, & lunę positus, plurimi & obseruãt, & magna diligentia remedia opponunt: æstum leniunt rebus frigefacientibus, hyemem calefacientibus: & in uniuersum dant operam, ut temperamentorum mediocritates efficiant: obseruãt & stellas fixas, ante quatuor anni tempora, & ante nauigationes. In coitu uerò pecorũ, & serendis plantis, lunę positus cõsiderant: neꝫ hanc diligentiam aut impossibilem, aut inutilem esse cẽsent. Cur igitur in particularibus negant possibilem prędictionẽ

aut utilem esse, cum ex reliquarum proprietatum mixtura, maior aut minor æstus aut humiditas prædicitur.

Cum aũt manifestum sit, generales æstus minus sentire eos qui frigida opponũt: potest eodẽ modo in singularibus fieri, ut opponãtur remedia aduersus ea quæ augent immoderatos ardores, peculiariter in hoc temperamẽto.

Sed errores in singularibus eo sæpius accidunt, propterea quòd difficulter præuideri possunt, quod etiã in reliquis artibus accidit, eisq; fidem detrahit. Deinde plerunq; cõtraria remedia negliguntur: ac rarissima est natura adeò felix, quæ inde usq; ab exordio non fuerit impedita. Inde fit ut existimentur omnia immutabiliter euenire, nec caueri posse.

Sic igit̃ statuo: Vt præuisio, etsi interdũ fallimur, tamẽ aliqua possibilis est, & animaduersiõe digna: sic & doctrinã de cauẽdis malis, etiamsi nõ omnia auertit, tamẽ cum aliqua depellat, seu magna, seu parua, studiose amplecti, & magni lucri instar ducere cõuenit.

Hæc

Hæc cum Aegyptij intelligerent ita se habere, qui hanc artem maximè celebrarunt, prædictionibus astronomicis semper medicam artem adiunxerũt. Neq; enim expiationes & auersiones, & remedia aduersus futura aut præsentia mala, communia uel particularia, tradidissent, si in hac opinione fuissẽt, auerti aut tolli ea nõ posse. Nũc uerò remedia, quæ naturæ ordine contrarias effectiones habẽt, secundo fati loco ponentes, prædictionibus adusum omnium adiunxerunt: quorũ doctrinam uocant coniunctionem medicinæ & mathematicę, ut ex astrorum contemplatione temperamenta, & futuros euentus, & proprias eorum causas iudicarent. (Nam sine horũ cognitione, sæpe etiam remedia fallunt, cum non omnibus corporibus & morbis eadem congruant) At ex medica arte auersiones futurorum morborũ, & remedia præsentium sumerent, non fallentia, quantum fieri potest, ex ijs quæ singulis cõgruunt aut aduersant.

Hęc breuiter hactenus dicta sunt.

deinceps

deinceps uerò pręcepta trademus, ut in docendo fieri ſolet, ordientes à cœleſtium qualitate, iuxta obſeruationes ueterum, ad phyſicam rationem conueniẽtes. Ac primũ de ſtellarũ errãtiũ, & ſolis & lunæ poteſtate dicemus.

## DE STELLARUM errantium poteſtate.

Conſtat, ſolem uim habere calefaciendi, & moderatè deſiccandi: quæ effectiones facilius percipiuntur, propter eius magnitudinem, & euidentes mutatiões in anni uicibus. Quo enim propius ad uerticem noſtrum accedit, eo magis efficit calorem & ſiccitatem. Luna uerò antecellit humectando, quia terræ proxima eſt, & uicina humidis uaporibus. Manifeſtè igit̃ hoc modo & corpora adficit, mollia reddit, & putrefacit plerunq; aliquantulum uerò & calefacit, propterea quòd à ſole lumen accipit. Saturnus magis frigefacit, & aliquantulũ deſiccat: quia lõgiſsimè, ut uidet̃, à calore ſolis, & ab humidis uaporibus diſtat. Cæterũ

Saturni

Saturni & aliarum stellarum uires, cõstituuntur pro uarietate adspectuum solis & lunæ. Nam secundũ magis & minus, horum adspectus aeris constitutionem uariant. Stella Iouis temperatæ naturæ est, cum media feratur inter Saturnũ frigefacientem, & Martem urentem. Calefacit autẽ & humectat: sed quia calefaciẽdi uis antecellit, fœcundi ab eo uenti excitãtur.

In stella Martis antecellit uis desiccãdi: simul aũt urit, sicut cõgruit igneo ipsius colori, & solis uicinitati, cũ proximè ei solis orbis subiectus sit.

Stella Veneris, quod ad temperatã naturã attinet, similis est Iouis, sed conuerso ordine. Etsi enim calefacit, quia soli uicina est, tamẽ minus calefacit quàm Iupiter: & magis humectat, sicut & luna, propter magnitudinem corporis sui, attrahens humidos uapores, ex locis terræ uicinis.

Mercurij stella ferè parẽ uim habet, aliquando in desiccando & absorbendis humiditatibus, quia nunquam à sole procul recedit, secundum longitudinem:

nem: aliquando uerò in humectando, quia uicinus est lunę, quæ terrę proxima est. Subitas autem mutationes efficit in utranq; partem, incitatus celeritate sua, qua uehitur circa solem.

Hæc cũ ita se habeant, cumq; quatuor sint humores, duo fœcundi & uiuifici, calidus & humidus: per hos enim omnia coalescunt & roborantur: Econtrà uerò duo sint exitiales & detrimentosi, frigidus & siccus, per quos omnia dissipãtur & interficiuntur: tradidit uetustas, beneficas esse duas stellas, Iouem & Venerem: & præter has, lunã, propter tẽperatas naturas, quia exuberant in eis calor & humor. Saturnũ uerò, & Martẽ, tradiderunt esse maleficos: quia uim contrariam habent, alter frigefaciendi, alter desiccandi. Solem uerò & Mercurium propter communem naturam effectus in utramq; partem habere, & accommodare suam naturam ad eas stellas, cum quibus sunt, tanquam medios.

De

## DE MASCVLINIS & femineis stellis.

Rursus cũ duo primarij sexus sint, masculinus & femineus, uis stellarũ, quas supra recensui, humidior cõgruit ad femineam naturam'. Nam femínea uniuersaliter humidiora sunt, calídior uerò congruit ad masculínũ sexũ. Quare conuenienter Luna & Venus dicũtur esse femineæ stellæ, quia humiditas in eis abundat: sol autẽ, & Saturnus, & Iuppiter, & Mars, masculi. Mercurius uerò particeps est utri usq; naturæ, cum pariter & siccitates & humilitates efficiat.

Dicuntur autem stellæ & uim masculam & femineam recipere à positu quẽ habent ad solem. Masculi enim sunt planetæ, cum sunt Eoi, ac solẽ antecedunt. Econtrà uerò fœminei, cũ sunt uespertíni & sequentes solem.

Deinde & pro positu ad horizontem, differũt. Masculi sunt, uelut orientales, in quadrante ab ortu ad medium cœli, & ab occasu ad imũ cœli, in reli-

reliquis duobus quadrantibus fœmi nei sunt, tanquam occidentales.

## DE DIURNIS ET nocturnis. 6.

Similiter & cum temporũ duo sint discrimina præcipua, dies & nox: dies magis ad masculam naturam congruit, quia maior interdiu calor est, & naturæ ad agendũ acriores sunt: nox uerò ad fœmineam, propter humiditatem, & quietis appetitionem. Tradũt igitur, nocturnas stellas esse Lunã & Venerem: diurnas uerò Solẽ & Iouem. participem uerò utriusq; conditionis Mercurium: cum est Eous, diurnũ: cum uerò uespertinus est, nocturnum. Vtriq; uerò conditioni attribuerunt maleficorum alterum, secuti non similitudinẽ qualitatis, sed diuersitatem. Nam cum stellis bonæ constitutionis adiunguntur símiles, bonitatem earum augent: sed exitialibus admixtæ dissimiles, cohercẽt malitię uehementiam. Ideo Saturnum, qui frigidus est, adiunxerunt calori diurno: &

Martem

Martem siccum nocturnæ humiditati. Sic uterq; à contraria constitutione factus moderatior, magis erit temperatus.

## *QUID VALEANT DIuersi positus ad Solem.* 7

Iam & propter positus ad Solem, intendũt aut remittũt suas uires Luna, Saturnus, Iupiter, & Mars. Luna enim à coniunctione, donec apparet dimidiata, magis est rigatrix. Inde usque ad plenilunium calefacit. A' plenilunio, donec iterum dimidiata adparet, desiccat. Ab eo tẽpore, donec occultatur, frigefacit.

Errãtes uerò stellæ, donec sunt matutinæ, usq; ad primam stationẽ, magis humectant: à prima statione, donec initiò noctis oriuntur, magis calefaciunt. Ab ortu autem uespertino, usq; ad secundam stationem, magis desiccant. A' secunda statione, usque ad occultationem, magis frigefaciũt. Manifestum est autem, inter se commixtas, magnam uarietatem qualita

tum in hoc circumfuso aere efficere, ita ut propria cuiuslibet stellæ qualitas dominetur: sed tamen aliqua ex parte, propter positum repugnantium, coherceatur.

## DE VIRIBUS STELlarum fixarum. 8

Sequitur ut stellarum fixarũ proprias effectiones percurramus, deprehensas in earum naturis: quas ita recitabo, ut ad similitudinem Planetarũ accommodem. Ac initiò à Zodiaco ordiemur.

Stellæ in capite Arietis uim habẽt mixtã, ex natura Martis & Saturni. Quæ uerò sunt in ore, uim similẽ habent Mercurio, & nonnihil Saturno. Quę uerò sunt in pede posteriore, sunt Martię. In cauda Venereę sunt.

Vbi Tauri signũ quasi amputatũ cernitur, Venereæ sunt: Pleiades uerò Lunam & Martem referunt. In capite inter Hyadas una lucidior & rutilans, quæ facula dicitur, Martia est.

Geminorum signũ in pedibus stellas

las habet similis naturæ, congruẽtes cum Mercurio, & nonnihil cum Venere. Sed lucidæ in fœmore, Saturninæ sunt. In capitib. duæ lucidæ: quarum altera præcedens Mercuriũ refert, & nominatur Apollo: altera sequens Martia est, & uocatẽ Hercules.

In Cancri oculis stellæ duæ sunt, similem effectum habentes, congruentes Mercurio, & aliquantulũ Marti. In brachijs Saturnum & Mercuriũ referũt. Ille uerò in pectore gyrus nebulosus, uocatur Præsepe, Martius & Lunaris: iuxta quẽ utrinq; positi, uocanẽ Asini, Martij sunt & Solares.

In Leonis capite duæ Saturninæ sunt, & nonnihil Martiæ. In ceruice tres Saturnum referunt, & nonnihil Mercurium. At lucida in corde, quę uocatur Regulus, Martem & Iouem refert. Quæ sunt in ilio, & una in causa splendida, Saturninæ sunt & Venereæ. Aliæ in fœmorib. Venerẽ, & nonnihil Mercurium referunt.

Stellę in Virginis capite, & una supra alam Australem, referunt Mercu

rium,& nonnihil Martem. Reliquæ in ala & in cingulo lucidæ Mercuriũ, & nonnihil Venerem referunt. Lucida uerò in ala boreali,quæ uocatur Vindemitor,Saturnũ & Mercurium refert. Spica autem Venerea,& aliquantulum Martia est. Alię in extremis pedibus,& fimbria uestis, Venereæ,& aliquantulum Martiæ sunt.

In chelis,seu iugo,effectus habent similes Ioui & Mercurio.Mediæ Saturninæ,& aliquantulũ Martiæ sunt.

In ipso Scorpio lucidæ in fronte sunt Martiæ,& aliquantulũ Saturninæ.Tres uerò in corpore, quarũ media rutilãs & lucidior uocatur ἀνταρης, Martem,& nonnihil Iouem referũt: quæ uerò sunt in nexibus caudæ, Saturninæ sunt, & nonnihil Venereæ. Aliæ,in aculeo Mercurium & Martẽ referunt. Ille uerò gyrus nebulosus, Martius & Lunaris est.

Stellæ sagittarij,quæ sunt in cuspide sagittæ, Martiæ sunt,& Lunares. In arcu, & ea nerui parte, quæ manu prehenditur, Iouis & Martis naturã referunt.

referũt. Gyrus in facie Solaris & Martius est. Aliæ in fascia & dorso, Iouis & Mercurij naturã referunt. Alię in pedibus, ad Iouis & Saturni naturã accedũt. Figura aũt quatuor laterũ in cauda, Venerea est, & aliquantulũ Saturnina.

Stellę in Capricorni cornibus Venereæ sunt, & aliquantulum Martiæ: in ore Saturninæ sunt, & aliquantulũ Venereæ. In pedibus & uentre, Martiæ & Mercuriales. In cauda, Saturnũ & Iouem referunt.

Stellæ Aquarij in humeris, manu sinistra, & ueste, Saturninæ sunt, & Mercuriales. In fœmoribus, magis Mercuriales sunt, minus uerò Saturninæ. In effuso latice, Saturnum, & aliquantulum Iouem referunt.

Stellæ in capite piscis Australis, Mercuriales, & aliquantulum Saturninæ. In corpore, Iouis & Mercurij naturam referunt: in cauda & in filo Australi ad Saturnũ, & aliquantulũ ad Mercurium accedunt. In corpore & spina piscis Borealis Martiæ

sunt, & aliquantulum Venereæ. In filo Boreali accedunt ad Saturni & Iouis naturam. Lucida in nodo, Martia est, & nonnihil Mercurialis.

In regione septentrionali Zodiaci lucidæ in Vrsa minore, Saturninæ sunt, & nonnihil Venereæ. Stellæ in Vrsa maiore, Martiæ sunt. Sub cauda huius Coma Berenices, Lunaris & Venerea est. Draconis stellę lucidiores, Saturninæ, Martiæ & Iouiales sunt. Cephei, Saturninæ & Iouiales. Bootæ, Mercuriales & Saturninæ. Lucida & rutila quæ uocat̃ Arcturus, Iouialis est, & Martialis.

Corona septẽtrionalis Venerea est, & Mercurialis. Geniculator, Mercurialis. Lyra, Venerea est, & Mercurialis. Gallina, similiter. Cassiopea, Saturnina est, & Venerea. Perseus, Iouialis & Saturninus. Gyrus in capulo ensis, Martius & Mercurialis.

In Auriga lucidiores, Martiæ & Mercuriales. Serpentarij, Saturninæ sunt, & Venereæ. Serpens uerò ipse, Saturninus & Martius est. Sagitta,

ta, Martia est, & nõnihil Venerea. Aquila, Martia est, & Iouialis. Delphinus, Saturninus & Martius. Lucidiores stellę equi, Martiæ sunt, & Mercuriales. Andromede, Venerea est. Delta, Mercuriale est.

In regione Australi. In piscis Australis rostro lucida stella, est Venerea & Mercurialis. Ceti stellæ, Saturninæ sunt. Orionis humeri, Martij & Mercuriales. Reliquæ eius stellæ lucidiores, Iouiales sunt, & Saturninæ. Extrema lucida Eridani, Iouialis: & reliquæ sunt Saturninæ. Lepus, est Mercurialis. Canis, Venereus. Sirius in rostro fulgens, Iouialis, & nonnihil Martius. Hydri lucidiores, Saturninæ sunt, & Venereæ. Crater, Venereus est, & nõnihil Mercurialis. Coruus, Martius est & Saturninus. In Argo naui lucidiores, Saturninæ & Iouiales. In Centauro humana figura, Venerea & Mercurialis: equinę figuræ lucidiores, sunt Venereæ & Iouiales. Lucidiores in lupo, Saturninæ sunt, & nõnihil Martiæ. Ara Venerea est, & nonnihil Saturni-

turnina. In corona Australi lucidiores, Saturninæ & Mercuriales.

## DE ANNI TEMPORIBUS, & quatuor angulorum natura.

Atq; hæ sunt stellarum propriæ uires, ut à ueteribus obseruatæ sunt. Cõsideranda sunt autem & anni tempora: uer, æstas, autumnus & hyems.

In uere abundat humiditas: quia soluto frigore, diffũdi aer calore incipit.

Aestas calidior est, quia sol propius ad uerticem nostrum accedit.

Autumnus siccior est, quia propter æstum præteritum exhaustæ sunt humiditates.

Hyems frigidior est, quia tum à uertice nostro sol longissimè distat.

Quanquã autem signiferi nullum est initium, cum sit circulus, constituerunt tamen primum signum Arietem, in quo æquinoctium est uernum: ut humidam ueris naturam tanquam à uiuo animante inchoarent, deinceps annumerantes aliqua anni tempora.

Omnia

Omnia enim animantia prima ætate, dum tenera sunt & mollia, ut uer, humore abundant. Deinde secunda ætate, donec manet uigor, magis calēt: ut æstas. Tertia, cum uigor languescit, & initiū est cōsumptionis, siccitas maior est: ut in autumno. Postremò frigidior est, ut hyems, quæ proxima est morti.

Sic & quatuor angulorum naturæ differunt, à quibus uenti, qui totas illas partes occupant, spirant.

Orientalis angulus siccior est: quia cum ibi sol est, ea quæ nocte rigata fuerāt, statim incipiūt arescere: & subsolani sunt sine humore, & arefaciunt.

Meridies calidior est: quia sol in medio fastigio ardentior est: & quia medietas cœli magis ad meridiem declinat, pro situ terræ quæ habitatur. Suntq; Austri calidi, & rarifici.

Occidens humidus est: quia cum sol eò accesserit, exhaustæ humiditates interdiu, diffundi incipiunt. Sūtq; Zephyri, teneri & humectantes. Arctoa regio frigida est, quia pro situ terræ,

quæ habitatur, longissimè abest à causa caloris, uidelicet solis fastigio, cum ibi sit contrarium fastigium. Sūtq; Boreæ frigidi & congelatores.

Hæc distinctio utilis est ad dijudicãdas singularium commixtiones. Nam propter has constitutiones temporũ, anni, ætatum, & angulorum, nonnihil uariant stellarum effectiones.

Purior est enim qualitas, & ualidior in loco cõgruente: ut calidæ in calidis locis, humidæ in humidis. In cõtrarijs uerò dilutior ac imbecillior, ut in frigidis locis calefactiuæ, & in siccis humidæ, & aliæ in alijs similiter, pro proportione, & qualitatum cõmixtione.

## DE SIGNIS TROPICIS, æquinoctialibus & bicorporeis.

His expositis, annectendæ erant & naturales proprietates duodecim signorum. Ac generales eorũ uires congruũt cum suis temporibus. Sed quædam proprietates sumuntur à familiaritate solis, lunæ, & reliquarum stellarũ, sicut postea dicetur. Prius enim ui-

uires quas per seſe & erga seſe inuicem habent, explicandæ sunt.

Primum discrimen est signorum: ut alia dicãtur esse Tropica, alia Aequino ctialia, quorũ utraq; sunt mobilia: deinde alia firma, alia bicorporea.

Tropica sunt duo: proximũ à Solstitio ęstiuo, hoc est, partes triginta Cancri: & proximũ à Solstitio hyberno, ut partes triginta Capricorni. His à re nomen inditum est: quoniam sol, ubi hæc ingressus est, retrò conuertitur, flectens cursum in contrariam latitudinem: in Cancro æstatem efficiens, in Capricorno hyemem.

Sunt & Aequinoctialia duo: uernũ Aries, & autumnale Libra, quibus & ipsis à re nomen inditũ est. Quia cũ Sol ad illa peruenerit, per omnes terras æqualia spacia sunt diei & noctis.

Ex reliquis octo signis quatuor firma uocantur, quatuor bicorporea.

Sunt autem firma, proxima Tropicis & Aequinoctialibus, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius: quòd per horum tempora, cum ad ea sol accesit, humiditates,

ditates, calores, siccitates, & frigiditates uehementiores & firmiores in corporibus nostris efficiantur: non quòd tunc aeris status sua natura sit simplicior, sed quia uires qualitatum mora facilius sentiuntur, postquã aliquandiu in istis temporibus uersati sumus.

Bicorporea & mediocria sunt, quæ post firma numerantur: Gemini, Virgo, Sagittarius, Pisces. Quia enim inter firma, Tropica & Aequinoctialia interiecta sunt, initio & fine similes cũ illis naturas habent.

## DE MASCULINIS & femineis signis.

Præterea sex signa attribuerunt masculæ naturæ & diurnæ, totidemq; femineæ & nocturnæ. Ordo autem traditur continuus, ut diei nox adiuncta est, & copulatio necessaria est maris & feminæ. Si igit̃ sumatur initium ab Ariete, propter causas quas diximus, sicut & masculus dominator ac prior est, quia actiuum semper prius est passiuo, Aries & Libra erũt mascu-

la

la & diurna. Accedit huc, quòd circulus æquinoctij per hæc descriptus, primam & ualidissimam omnium agitationem efficit. Ab his continua serie masculinis feminina subijciuntur.

Nonnulli uerò masculina signa, ab orientali signo quod ὡροσκοπος & dicit, nominant. Sicut enim aliqui Tropicorũ initia sumunt à lunari circulo, quòd celerrimæ sint Lunæ conuersiones: sic & mascula signa ordienda sunt ab horoscopo, propter Subsolanum. Iam hi rursus continua serie uices masculinorum & femininorum constituunt.

Alij totum circulum in quadrantes diuiserunt, ac matutina & mascula ab horoscopo usq; ad medium cœli constituunt, & his oppositа ab occasu ad imũ cœli: uespertina uerò & nocturna, duos reliquos quadrantes.

Sũt & aliæ appellationes, signis accommodatæ à formis: ut alia dicuntur quadrupedia, alia terrestria, alia dominantia, alia fœcunda, aut aliquid huiusmodi: quæ cum ex ipsis figuris manifesta sint, superuacaneũ duxi eas appella-

pellationes recenſere, cum quidē antea ſignorum qualitates expoſuerim, quomodo in iudicijs utiliter uires earum conſiderentur.

## DE ASPECTIBVS *ſignorum.*

Primùm aſpectus partium Zodiaci, qui figuras certas efficiunt, aliquam inter ſe familiaritatem habent.

Primùm partes quæ diametro diſtant, & duos rectos angulos cōtinēt, uidelicet ſigna ſex, ſeu gradus centum & octoginta. Deinde partes quæ figuram efficiunt triangulā, quæ continet unum rectum angulum & trientem, uidelicet ſigna quatuor, ſeu gradus cētū uiginti. Præterea partes quæ quadrangulum efficiunt, & continent unum rectum angulū: uidelicet ſigna tria, ſeu gradus nonaginta. Partes uerò quæ ſexangulum efficiūt, continēt unius recti anguli duas tertias: uidelicet ſigna duo, ſeu gradus ſexaginta.

Cur autem hæc tantum diſcrimina recepta ſint, facilè hinc intelligi poteſt.

Pri-

Primùm manifesta est ratio, cur di ametri figura obseruata sit. Nam oppo sitio, est in una recta linea. Posteà ue rò, si duas maximas portiones, iuxta harmonias & superportiones accipi amus, uidelicet semicirculo diuiso uel per medium, ut sint duo recti anguli, uel per tria: diuisio per medium effi ciet quadrangulam figuram, diuisio uerò in tria habet sexangulam figurã. Superportionum autem, si constitua tur à recto angulo quadrato sesquiplũ, & sesquitertiũ, sesquipla ratio est qua dranguli ad sexangulum: sesquitertia uerò, est trianguli ad quadrangulum.

Existimantur autem natura congru entes triãguli & sexanguli adspectus, propterea quòd tunc cognata signa fe minina aut mascula conferuntur. Non cõgruunt aũt quadranguli adspectus, & oppositi, quia talis constitutio est contrariorum signorum.

## DE IMPERANTI-bus & obedientibus signis. 13.

Dicuntur etiam imperantia & obe dien-

dientia loca, quæ æquali ſpacio diſtãt ab eodem uel utroq; punctorũ æquinoctialium: eo quòd æquali temporis ſpacio oriuntur, eoſdemq; deſcribunt parallelos. Imperantia uerò ſunt in æſtiua Sphæræ parte, audientia uerò in parte hyberna: quia Sol in æſtiua parte lõgiores facit dies, in hyberna uerò breuiores.

## DE INTUENTIBUS & idem ualentibus ſignis. 14

Dicimus eiuſdem inter ſe potentiæ eſſe partes, ab uno uel utroq; Tropicorum æqualiter diſtantes. Sunt enim æqualia ſpacia dierum & noctiũ & horarum, quando ſol alterutra peragrat. Hæc etiam intueri ſe mutuò dicuntur, & propter cauſas quas dixi, & quia utraq; ijſdem locis horizontis oriuntur, & ijſdem occidunt.

## INCONIUNCTA. 15

Incõiuncta uerò, & aliena dicũtur, quæ nullam inter ſe familiaritatem habent, iuxta rationes dictas: uidelicet

quæ

quæ neq; imperant, neq; obediunt, ne que se intuentur, neq; idē ualent, neq; ul lam figurarum illarū describunt, quas recensuimus: non diametrum, non tri gonū, nō quadrangulum, non sexan gulū: sed quæ uel secūda, uel sexta nu merātur. Nā quæ secunda sunt, auersa sunt à sese, & duo signa cōtinua coniū cta unū efficiunt angulū. Illa uerò quę sexta numerantur, totū orbē in partes inæquales secant, cum alię figurę eum in partes æquales diuidant.

## DE DOMIBUS.

Familiaritas est autē Planetis cum partibus Signiferi propter domos, tri angula, altitudines, fines, & similes quasdam proprietates.

Domus autem naturali ratione di stribuuntur. Cum enim ex duodecim signis, duo Borealia proximè ad uer ticem nostrū accedant, maximeq; ca lores & æstus efficiāt, Cancer & Leo, hæc duo signa maximorum & effica cissimorum luminum domus esse iudi catum est: Leonē quidem Solis, quia

signum masculũ est: Cancrũ uerò Lunæ, quia femineus est. Ac deinceps cõ uenienter semicirculus à Leone ad Capricorum solaris dicitur: semicirculus uerò ab Aquario usq; ad Cancrum lunaris, ut in quolibet semicirculo signũ planetę familiare attribueretur, uel Solis naturæ, uel Lunæ congruens, iuxta positum orbium, & eorum naturas. Nam Saturno, quia maximè frigidus est, & cum calore pugnat, ac supremũ orbem à luminibus maximè remotum tenet, attributa sunt signa Cancro & Leoni oppositа, Capricornus & Aquarius: quæ signa & ipsa sunt frigida & hyberna, & propter oppositionem malefica.

Iouí autem, qui est temperatę naturæ, & subiectus orbi Saturni, data sunt proxima illis signa, uentosa & fœcunda, Sagittarius & Pisces: quæ luminũ signa trigono aspectu intuentur, quí conuenit beneficentiæ.

Deinde Martí deficcatorí, & posito sub orbe Iouis, signa domicilijs Iouis proxima attributa sunt, Scorpius & Aries:

Aries: quæ, propter quadratum aspectum ad luminum domicilia, congruunt naturæ noxiæ & corruptrici.

Veneri uerò, quæ naturæ est temperatæ, & sub orbe Martis posita, attributa sunt his proxima & fœcundissima signa, Libra & Taurus: quæ propter sexangulũ aspectũ mitiora sunt. Neq; hæc stella amplius duob. signis anteit, aut sequitur Solem.

Mercurio uerò, qui ultimus est, nec amplius uno signo à sole recedit, & aliorum planetarũ orbibus subiectus, ac luminibus proximus est, attributa sunt signa, domicilijs luminum proxima, Gemini & Virgo.

## *DE TRIGONIS.* 17

Trigonorũ familiaritas talis est. Triangulus æqualium laterum figura est, maximè secum ipsa consentiens. Et Zodiacus tres circulos continet, Aequinoctialem, & duos Tropicos. Ipsius uerò duodecim loca, diuiduntur in quatuor triangulos æqualiũ laterum.

Horum igitur primus ducitur per

Arietem, Leonem & Sagittarium, tria signa masculina, quæ sunt domicilia Solis, Martis, & Iouis. Attribuit autē hic triangulus Soli & Ioui. Mars uerò excluſus est, quia aduersatur Solis cōditioni. Dominatur autē in hoc triangulo interdiu Sol, noctu Iupiter. Locus Arietis est æquinoctialis, Leonis æstiuus, Sagittarij hybernus. Idē triangulus potissimū Septentrionalis est, quia Iupiter ibi partem dominij tenet: qui fœcundus est, & flatuosus, conueniens uentis, qui cientur in Septentrione. At propter Martis domum recipit mixturam Aphrici. Et constituitur triangulus, quē uocant mixtū ex Borea & Aphrico. nā Mars excitat uentos Aphricos, propter Lunę familiaritatem, & quia occidētalis pars feminea est.

Secundus triangulus ducitur per Taurū, Virginem, & Capricornū, tria signa feminea: quare Lunę & Veneri attribuitur. dominat aūt ei noctu Luna, interdiu Venus. Ac Taurus propior est æstiuo circulo, Virgo æquinoctia-

ctiali, Capricornus hyberno. Præcipuè uerò hic triangulus est Australis, propter Veneris dominationẽ, quę eius partis uẽtos ciet calidos & humidos. Admittit aũt & Subsolanũ, propter Capricornum, qui est Saturni domicilĩ. Cõstituit aũt hic triangulus, quem uocãt mixtũ ex Austro & Subsolano. ciet enim Saturnus uẽtos Orientales, propter familiaritatẽ cũ Sole.

Tertius triangulus ducit per Geminos, Libram & Aquarium, tria masculasigna, aliena à Marte: sed congruentia cum Saturno & Mercurio, propter duo illorũ domicilia. ideo his attribuitur hic triangulus. Ac interdiu dominatur Saturnus propter suam cõditionẽ, Mercurius uerò noctu. Signum autem Geminorum uicinũ est circulo æstiuo, Libra æquinoctiali, Aquarius hyberno. Potissimum hic triangulus cõgruit cum Subsolano, propter Saturnum. Sed quia Iouí familiaris est, fit mixtus ex Borea & Subsolano: quia familiaritas est Iouis & Saturni.

Quartus triangulus ducitur per Cancrum, Scorpium & Pisces: qui relinquitur Martí propter Scorpiũ, qui est Martis domicilium. Simul autem dominantur, nocte Luna, interdiu autem Venus. Est autem Cancer in æstiuo circulo, Scorpius propior hyberno, Pisces æquinoctiali. Ac constituitur hic trigonus occidẽtalis propter Martis & Lunæ dominationem, ac fit mixtus ex Austro & Aphrico propter Venerem.

## DE ALTITUDINIBUS.

Altitudínum planetarum ratio hęc est. Cũ Sol ingressus Arietẽ, ad partẽ cœli sublimiorem uersus Arcton accedat, & in Libra descẽdat ad Austrum, conuenienter ei altitudo in Ariete attributa est: cum dies tunc crescant, & Sol magis calefacere corpora incipiat.

Econtrà uerò, in Libra propter cõtrariam causam deiectio est Solis.

Saturno autem Libra attributa est, ut sicut in domicilijs, ita hic quoq; contrari-

trarium locum teneat: Aries autem ipsius deiectio est. Nam ubi calor intenditur, ibi remitti frigus necesse est: & rursus ubi calor diminuitur, frigus crescit. Cum autem Luna post cõiunctionem Solis in altitudine, uidelicet in Ariete primùm, deinde appareat & quasi extollatur in Tauro, trianguli sui principe, Taurus altitudo eius perhibetur, eidem oppositum signum Scorpius deiectio.

Iupiter autem, cum maximè cieat uentos Aquilonares, & fœcundos, & in Cancro ad Boream proximè accedat, & uim suã ibi exerceat: Cãcer eius altitudo est, & Capicornus deiectio.

Ecõtrà Mars natura æstuosus, & magis in Capricorno: qui etiã eo est æstuosior, quia magis Australis est. Ideo opposita Ioui altitudo in Capricorno ei constituta est, deiectio uerò Cancer.

Venus autem natura humectãs, & magis in Piscib. unde humiditas Vernalis augetur. & ubi Venus maiorem uim exercet, altitudinẽ habet in Piscib. deiectionem uerò in Virgine.

Mercurius uerò aridior, propter cõ trariam naturam, in ſigno oppoſito al titudinem accipit, in Virgine, in qua autumni ſiccitas impẽdet. Econtrà in Piſcibus deiectus iacet.

## DE FINIBUS.

De finibus duplex doctrina tradi tur. altera Aegyptia, quæ accommo data eſt ad domiciliorum autoritatẽ: altera Chaldaica, accommodata ad tri angulorum gubernationem.

Aegyptia uerò, ut uſitatè circum fertur, nec ordinis nec numerorũ con ſequentiam ſeruat. Primùm in ordi ne priores gradus attribuit tanquam fines, nunc domino domiciliorũ, nũc domino trianguli, aliquando etiam illi cuius eſt altitudo. Exempli cau ſa. Si domiciliorum dominos reſpi ciunt, quæri poteſt, cur in Libra prio res tribuant Saturno, ac nõ Veneri po tius? Itemq́, cur in Ariete Ioui potius quàm Martι?

Quòd ſi triangulorum dominos reſpiciunt, cur Mercurio priores tri buunt

biuunt in Capricorno, ac non Veneri potius? Denique si altitudines respiciunt, cur Marti in Cancro priores tribuunt, ac non potius Ioui?

Præterea si inde sumũt fines, quia in aliquo signo plures causæ concurrũt, cur Mercurio tribuunt priores in Aquario, cum ibi nihil iuris, nisi propter trigonũ, habeat? Saturnus uerò præsit tãquã domicilio & trigono? Cur itẽ Mercurio primi fines attributi sunt in Capricorno, cũ ei non præsit ullo modo? Vt huiusmodi incõuenientia etiã in reliqua serie animaduerti potest.

Deinde numerus finiũ inconcinnè traditur. Aiũt enim, singulos planetas tot habere fines in signis, quot sunt eius anni maiores: id uerò nullã habet propriã ac probabilẽ rationẽ. Quinetiã si huic collectioni numerorũ credamus, sicut asseuerat ab Aegyptijs: fieri tamen potest, ut uariè mutato numero in signis, reperiat idẽ numerus.

Quòd uerò aliqui coniecturas fucatas adferũt, prorsus fallunt, cũ contendunt, tempora ascensionũ cõfigurata

planetis efficere hunc numerum finium. Primùm enim sequuntur uulgares traditiones, de planis ascensionum eminentijs, non habita ratione diuersarum eleuationum poli. Procul igitur à ueritate aberrant. Volũt enim in linea Aequinoctiali, quæ transit per inferiorem Aegyptum, cũ Virgine & Libra ascendere tempora triginta octo & trientem, cum Leone & Scorpio tempora triginta quinq; cum demonstratio linearis ostendat, cum his ascendere plus temporum, cum Virgine uerò & Libra minus.

Præterea, qui hanc rationem constituere conati sunt, ne sic quidem retinent finium numerum ab alijs traditum: etsi sæpe mentiri coguntur, & interdum portiones portionũ adhibent, ut concinnitatẽ quam uolebant tueantur, quæ & ipsa à uera ratione aberrat. Ordo autem finium, ut à multis traditur, & cui propter antiquitatem fides habetur, hic adscriptus est.

FINES

## FINES SECUNDUM Aegyptios.

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ♈ | ♃ | 6 | ♀ | 6 | ☿ | 8 | ♂ | 5 | ♄ | 5 |
| ♉ | ♀ | 8 | ☿ | 6 | ♄ | 8 | ♃ | 5 | ♂ | 3 |
| ♊ | ☿ | 6 | ♃ | 6 | ♀ | 5 | ♂ | 7 | ♄ | 6 |
| ♋ | ♂ | 7 | ♀ | 6 | ☿ | 6 | ♃ | 7 | ♄ | 4 |
| ♌ | ♃ | 6 | ♀ | 5 | ♄ | 7 | ☿ | 6 | ♂ | 6 |
| ♍ | ☿ | 7 | ♀ | 10 | ♃ | 4 | ♂ | 7 | ♄ | 2 |
| ♎ | ♄ | 6 | ☿ | 8 | ♃ | 7 | ♀ | 7 | ♂ | 2 |
| ♏ | ♂ | 7 | ♀ | 4 | ☿ | 8 | ♃ | 5 | ♄ | 6 |
| ♐ | ♃ | 12 | ♀ | 5 | ☿ | 4 | ♄ | 5 | ♂ | 4 |
| ♑ | ☿ | 7 | ♃ | 7 | ♀ | 7 | ♄ | 4 | ♂ | 5 |
| ♒ | ☿ | 7 | ♀ | 6 | ♃ | 7 | ♂ | 5 | ♄ | 5 |
| ♓ | ♀ | 12 | ♃ | 4 | ☿ | 3 | ♂ | 9 | ♄ | 2 |

Chaldaica uerò ratio ſimplicior ac probabilior eſt: quanquã ne hæc quidem penitùs cõcinna eſt, cùm in ſerie, quam ſumit à triangulorũ dominijs, tum in numero, ut ſine annotatione ſua cuiq; regio attribui poſsit. Nam in primo triangulo, Arietis, Leonis, & Sagittarij, cum ſeruetur ordo ſignorũ, primus finis eſt Iouis, qui dominatur illi triangulo. Secundus finis ſecundi trianguli, ſcilicet Veneris. Tertius tertij,

tij, scilicet Saturni & Mercurij. Vltimus postremi trianguli, scilicet Martis. In secũdo triangulo, qui est Tauri, Virginis & Capricorni, ubi similiter iuxta signorum ordinem proceditur, primus finis est Veneris, secundus & tertius Saturni & Mercurij, quartus Martis, quintus Saturni. Ad hũc modum ferè in reliquis duobus triangulis ordo conspicitur. Vbi autem eiusdẽ trigoni duo sunt dominatores, Saturnus & Mercurius, interdiu Saturnus principatum ordinis tenebit, noctu uerò Mercurius, nec numerus graduum in finibus intricatus erit.

Habeat enim subinde posterior planeta minus uno gradu in finibus, quàm prior.

Cum igit primus habeat octo gradus, in secundo erunt septem, in tertio sex, in quarto quinq, in ultimo quatuor. Hi numeri collecti, erũt gradus triginta cuiuslibet signi. Ex hac distributione colliguntur Saturno gradus diurni octo & septuaginta, nocturni sex & sexaginta, Ioui duo & septuaginta,

ta, Martí nouem & ſexaginta, Veneri quinq; & ſeptuaginta: Mercurio diurni octo & ſexaginta, nocturni ſex & ſeptuaginta: quí gradus collecti, erunt trecenti & ſexaginta. Ex his duabus rationibus finium, Aegyptiacæ plus fidei tribuendum eſt, & quia tanquam utilis ab Aegyptijs ſcriptoribus in tabellis annotata eſt, & quia gradus conſentiunt cum natiuitatum exemplis. Cum autem hi ipſi ſcriptores nec ordinis nec numeri cauſam oſtenderint, diſſimilitudo ordinis mouere ſuſpicionem & reprehenſionem uidetur. Incidí autem in antiquum uolumen, quod aliqua ex parte uetuſtate conſumptũ erat, in quo phyſicæ cauſæ ordinis & numeri graduum expoſitæ erant, & additæ erant ueterũ genſeon deſcriptiones, & numerus congruens cum ueterum annotatione. Sed oratio erat prolixa, & continebat ſuperuacua argumenta: & liber erat laceratus, ut uix ſummas rerum adſequi poſſem. Qua in re tabella finiũ, in extrema libri pagina addita, quæ manſe-

manserat incorrupta, me adiuuabat.

Sed coniectura illorum tota se ita habet. In ordine signorum accipiunt altitudines, trianguli & domicilia: quorũ si qua stella duas habet prærogatiuas, in eodem signo, huic præcipuus locus tribuitur, etiamsi malefica fuerit. Vbi autem tales prærogatiuæ non reperiuntur, maleficæ in extremũ locum transferuntur. Altitudinum uerò domini primum locum obtinẽt: hos sequuntur domini triangulorum, deinde domiciliorum domini secundum signorum seriem: sed ita, ut stella quæ habet duas prærogatiuas, præcedat in eodem signo eam quæ unam habet prærogatiuam. Cancer uerò & Leo cum sint domicilia Solis & Lunę, attribuuntur maleficis, quæ in eis potentiores sunt: quia lumina non habent fines. In Cancro quidem fines habet Mars, in Leone uerò Saturnus, in quibus ordo eis conueniens seruatur.

Numerus autem graduum ita traditur. Vbi non inuenitur stella, duas habens prærogatiuas, uel in eodem signo

gno, uel in quadrãte sequentis, dantur partes septenæ beneficis Ioui & Veneri: quinæ uerò maleficis, Saturno & Marti: Mercurio uerò, qui communis est, senæ. Ita numerus triginta graduũ expletur: & hæc regula de ijs traditur, quæ non habent duas prærogatiuas. At cum aliquæ duas habent prærogatiuas (nam Venus & trianguli domina est, & domicilij in Tauro: Lunæ enim non attribuuntur fines) his unus gradus adijcitur, uel in eodem signo, uel in proximo, usque ad quadrantem. Erantq; his, in illa tabella, adscripta puncta. Auferuntur autem hi adiectitij gradus potentiorum à finibus aliorum, qui minus dignitatis habent, plerunque à Saturno: sed tamen & à Ioue, propter tarditatem motus. Tabella autem finium hæc est:

Nonnul-

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ♈ | ♃ | 6 | ♀ | 8 | ☿ | 7 | ♂ | 5 | ♄ | 4 |
| ♉ | ♀ | 8 | ☿ | 7 | ♃ | 7 | ♄ | 4 | ♂ | 4 |
| ♊ | ☿ | 7 | ♃ | 7 | ♀ | 7 | ♄ | 4 | ♂ | 5 |
| ♋ | ♂ | 6 | ♃ | 7 | ☿ | 7 | ♀ | 7 | ♄ | 3 |
| ♌ | ♄ | 6 | ☿ | 7 | ♀ | 6 | ♃ | 6 | ♂ | 5 |
| ♍ | ☿ | 7 | ♀ | 6 | ♃ | 5 | ♄ | 6 | ♂ | 6 |
| ♎ | ♄ | 6 | ♀ | 5 | ♃ | 8 | ☿ | 5 | ♂ | 6 |
| ♏ | ♂ | 6 | ♃ | 8 | ♀ | 7 | ☿ | 6 | ♄ | 3. |
| ♐ | ♃ | 8 | ♀ | 6 | ☿ | 5 | ♄ | 6 | ♂ | 5 |
| ♑ | ♀ | 6 | ☿ | 6 | ♃ | 7 | ♂ | 6 | ♄ | 5 |
| ♒ | ♄ | 6 | ☿ | 6 | ♀ | 8 | ♃ | 5 | ♂ | 5 |
| ♓ | ♀ | 8 | ♃ | 6 | ☿ | 6 | ♂ | 6 | ♄ | 4 |

Nonnulli etiam exílius partíti ſunt dominationum iura, uocarũtq; locos & partes. Ac locum tradiderũt eſſe uniuſcuiuſq; ſigni portionem duodecimã, id eſt, gradus duos & dimidiũ. Cũ enim incipiãt à ſigno in quo eſt ſtella, tríbuunt uim illi loco in ſequentíbus ſignis. Alíj excogitarunt alías diſtributiones, ſine ratione. Partes uerò tríbuunt in quolíbet ſigno, ab ínitio cuíli bet planetæ, iuxta ordinem finium tabulæ Chaldaicæ.

Sed hæc ad oſtentationem excogitata,

tata, & plausibiliter proposita, sine physica ratione, relinquamus. Illud uerò quod scire dignũ est, non omittat, consentaneum esse rationi, signorum initia ab Aequinoctiorum & Solstitiorũ punctis inchoare, idq; scriptores ostẽderunt. Et uidemus naturas, uires & familiaritates stellarum causam sumere à Solstitiorũ & Aequinoctiorũ initijs, & non aliunde. Quòd si alia initia constituerimus, aut signa à iudicijs excludemus, aut si complectemur errabimus: cum iam spacia, à quib. signa uires sumunt, retrò acta sint.

## DE SUA CUIUSQUE *stellæ facie, carpentis ac solys.*

Familiaritates stellarum & signorũ ferè tales sunt, ut exposui. Dicuntur autem faciem suam habere, quando tãtum est interuallum inter planetam & Solem aut Lunam, quantum distat domus Planetæ à domo Solis aut Lunæ. Vt uerbi causa, cum Venus sexangula configuratione distat à luminib. sed sit cum Sole uespertina, cum Lu-

na uerò matutina, ut congruit domicilijs eorum.

Dicuntur autem in suis carpentis uehi, & solijs, quando ius familiaritatis in ijs locis, in quibus sunt, exercẽt, duobus aut pluribus modis. Cum enim tunc maximè efficaces sint propter eõ uenientiam, auxilium & cognationẽ signorum, dicuntur in suis solijs collocari ac fulgere. Gaudere etiam stellã dicunt, cum locus, etiamsi ipsi non est proprius, tamen alteri cognato familiaris est. Quæ conuenientia etiamsi ex longinquis ducitur, tamen propter similitudinem quædam est communicatio. Contrà uerò in contrarijs locis, peculiaris earũ uis fit dilutior: quia dissimiles naturæ confusionem tẽperamentorum infaustam efficiunt.

## DE APPLICATIONIBUS & defluxibus.

In uniuersum intelligimus adplicari sequentibus præcedentes, defluere uerò à præcedentibus sequentes: sed ita, ne sit longum interuallũ, Quod intelli-

tellígitur & in corporeis cõgreſsíbus, & ín configurationíb. níſi quòd ín corporeis congreſsíbus etiam latitudines notari conuenit. Non enim admittimus, niſi eos congreſsus, qui fiunt per mediam líneam: quòd ín configuratíonibus obſeruare ſuperuacuũ eſt, cum radíj ad terrã uel ad centrum tendẽtes, ibí concurránt, undecunq; míſsi ſunt.

## EPILOGUS.

Ex hís omnibus perſpícuum eſt, uires ſtellarum ſumendas eſſe, cùm à propría qualitate, tum à ſignís, tum à poſítu ad ☉, tum à cardinibus, eo modo ut díxi. Sed uires aſſumunt, ſí ſint Oriẽ tales ſeu dírecti. tunc enim ualidíores ſunt, quàm cum ſunt Occidentales & retrogradí: tunc enim languidíorem uim habent. Deinde pro poſítu ad horizontem. Nam ín medio cœlí, aut loco ſuccedẽte efficaciores ſunt: poſtea uerò magna eſt efficacia, cum ſunt in horizonte, aut ſuccedente loco.

Plurimum uerò ualent ín finítione orientalí: minus autem in ímo cœlí, aut alio loco aſpíciente eum. Sed cũ

prorſus non aſpiciunt, omnino languidi ſunt, & imbecilles.

# LIBER SECVNDVS PTOLEMAEI.

ræcipuam doctrinã breuiter expoſitam, ut in tabella, neceſſariã ad prædictiones euentuum ſingularium, hactenus in ſumma tradidimus. Nũc adiungamus doctrinam de prædictione ſingularium, quatenus poſsibile eſt, ubiq; naturalium cauſarum rationem ſequentes.

Cum autem duæ ſint præcipuæ partes prędictionum Aſtronomicarũ: altera uniuerſalis, quæ regionũ, gentiũ aut urbium qualitates indicat: altera particularis, quæ ſingulorum hominũ fata conſiderat: prius de uniuerſali dicendum eſt. Quia euentus magnarum regionum maioríb. & ualidiorib. cauſis mouentur, quàm euentus particulares hominum. Cum igitur ſemper imbecilliores naturæ potentioribus,

&

& particulares uniuersalibus subijcian tur: necesse est prius dici de generalioribus, si particularia considerauri sumus.

Cæterùm hæc uniuersalis consideratio, aut est totarum regionũ, aut partium, & certarum urbium. Præterea aut maiores mutationes statis recurrẽtes temporibus, ut bellorum, pestilentię, terræmotuum, diluuij, & similes indicãtur: aut leuiores & minores, ut annuæ tempestatis, intẽsio aut remissio, hyems horridior aut mitior, flatus uentorum, æstus, ubertas, sterilitas, & alia huius generis.

Anteferenda est autem obseruatio euentuum maiorum, & qui totis regionibus accidunt, propter causam prædictam. Horum cognitio duo requirit. Primùm considerationem, ad quas partes signiferi, & ad quas stellas quælibet regio pertineat. Secundò considerationem, quales in singulis partib. effectiones existant certo tẽpore, propter defectus luminum, transitum errãtium stellarum, ortus & stationes.

Hanc consensionem primùm iuxta naturalem rationem exponamus, obiter etiam recitantes gentium proprietates corporis & morum, quæ nō sunt alienæ à naturali qualitate stellarū & signorum, quibus subiectæ sunt.

## DE PROPRIETATE uniuersali gentium. 2

Distinguuntur autem gentium proprietates cùm iuxta parallelos & angulos, tum iuxta positum ad Ecliptícam & Solem. Nam cum nostra habitatio sit in uno Aquilonari quadrante, alij subiecti Australioribus parallelis, qui sunt ab Aequinoctiali ad Tropicū æstiuum, cum Sol feratur supra eorum uerticem, magis usti, atra corpora habent, & crispos & densos capillos, contractam faciem, tabefacta mēbra, natura calidi, & moribus plerūq; feri, propter adsiduum æstum in suis locis: quos uocamus Aethiopes. Acnō solum ipsi tales sunt, sed & eius loci aer & animantia & plantæ sunt aridiores.

Qui uerò sub parallelis Aquilonaribus

bus degũt, id est, rectà sub ipsa Arcto, quia procul absunt à Zodiaco, & calore Solis magis frigefiũt, ideoq; humore magis abũdãt, qui nutrit eorũ corpora. Cumq; non exhauriantur æstu, colore sunt candidiore, & capillos habẽt promissos, procera & succi plena corpora, & nõnihil gelida. Sũt aũt & ipsi feris morib. propter assiduа frigora. & lõgiores sunt hyemes in eo aere, & grãdiores arbores, & seuę bestię. Vocamus autẽ hos generaliter Scythas.

Qui autem tenent loca interiecta inter Tropicum æstiuum & Arctõ, quia neq; supra uerticem ipsorum sol euehitur, neq; inde longissimè ad Austrum recedit, in aere degunt temperato: qui quanquam frigoris & æstus differentias habet, tamen hæ non sunt magnę, nec magnas diuersitates in corporib. æstus & frigora faciũt. Ideo colore medio sunt, mediocri statura, natura temperata, coniuncti habitationibus, placidi moribus. Horum qui propiores sunt Austro, in genere ingeniosiores & callidiores, & rerum diuinarum peritiores

ritiores sunt, quia uerticale punctum eorum propius est zodiaco & planetis: quibus quasi familiariores, habent & ipsi sagaciores animas in inuestigatione naturæ, & in disciplinis percipiēdis maiorem celeritatem. Præterea homines in Oriente degentes, magis masculos animos & firmiores habent, minus sunt occultatores. nam Oriens naturæ solaris est. Quare ea terræ pars diurna, uirilis & dextra existimāda est: ut in animantibus dextra calidiora & firmiora sunt.

Ad occidentem uerò degētes, effœminatiores sunt, & molliores, & occultatores. nam hæc pars lunæ attribuitur. Quia luna post coniunctionē semper primùm ab occasu conspiciendam se præbet. Ideo nocturna est, & sinistra, tanquam Orienti opposita.

## QUOMODO REGIONES ad trigonos & stellas congruant.

Congruunt autem in singulis terræ tractibus, propriæ humorum qualitates,

tes,& inclinationes ad signa. Vt enim aeris constitutio in ijs locis, quæ dixi calida,frigida,aut temperata esse, differentias habet in particularib. regionibus,ubi communis qualitas intenditur aut remittitur, propter situs ordinationem,altitudinem,aut humilitatem: cumq; alij magis sint equestres propter patriæ planiciem, alij nauigatores propter uicinum mare,& aliqui propter regionis ubertatem mitiores: ita & diuersæ qualitates sunt gentium, ut aliæ ad alia signa particulariter cõgruant, quæ tamen qualitatum similitudo ad plurimos in genere pertinet. Necesse est igitur summatim exponi hãc considerationem,quatenus ad particularem doctrinam conducit.

Cum igitur in signifero quatuor triangulæ figuræ constituantur,ut suprà ostẽsum est, una Arietis, Leonis & Sagittarij, quæ uocantur mixta ex Aquilone & Africo,ut gubernans occasum Solstitialẽ: hic triangulus gubernator potissimũ à Ioue propter locũ septentrionalẽ,& à Marte propter occasum:

Triangulus autem Tauri, Virginis & Capricorni, Austrisolanus, in ortu brumali regit̃ præcipuè à Venere, propter Meridiẽ: deinde & à Saturno, propter Ortum.

Triangulus aũt Geminorum, Libræ & Aquarij, mixtus ex Aquilone & Subsolano, in ortu Solstitiali, regitur præcipuè à Saturno, propter ortum, habetq; socium gubernationis Iouem propter Aquilonem.

Triangulus autem Cancri, Scorpij & Piscium, mixtus ex Austro & Africo, in occasu brumali, regitur à Marte, propter Africum: habetq; sociam Venerem, propter Austrum.

Quæ cum ita se habeant, & nostra terra distribuatur in quadrantes quatuor, accommodatos ad triangulorum numerum, latitudo diuiditur per lineã maris nostri, à freto Herculano ad sinũ Issicum ducta: & deinceps ad ortum per montanum dorsum, quæ linea Aquilonarem partem ab Australi separat. Linea uerò ex Arabico sinu per Aegæum pelagus, Pontum & Mæotidem

tidem paludem ducta, discernit Orientem & Occidentē. Ita fiunt quadrātes quatuor, iuxta trigonorū numerū.

Primus igitur quadrans ad Occasum solstitialem, mixtus ex Aquilone & Africo, continet Celticā: cōmuni nomine dicitur Europa.

Huic oppositus secundus quadrās ad Austrosolanum, uersus Orientalē Aethiopiam, ad Ortum brumalē, dicitur magnæ Asiæ pars Australis.

Tertius quadrans ad Ortum solstitialem, mixtus ex Aquilone & Subsolano, uersus Scythiam, dicitur magnæ Asiæ pars Aquilonaris.

Huic oppositus quadrans ad Occasum brumalem, mixtus ex Aquilone & Austro, uersus Occidentalem Aethiopiam, dicitur communi nomine Libya.

Præterea singuli quadrātes, quà uergunt in medium totius nostræ terræ, aliam sumunt naturam, quàm qualem habet totus quadrans ad totum orbē collatus. Medius enim Europæ locus, quę sita est ad solstitialē Occasum, si respi-

si respicias uniuersam terram, oppositus est ortui brumali, ab ea parte quadrantis. Ita in cæteris iudicandũ est, unumquemlibet quadrantem familiaritatem habere cum duobus trigonis inter se oppositis: cum extremę partes peculiaribus trigonis regantur, medię uerò assumant stellas dominantes in oppositis partibus. Ac ut in extremis soli trianguli dominantur, ita in medio ad dominatores oppositorum adiungat̃ Mercurius, propterea quòd communem & mediam naturam qualitatum habet.

Quibus ita dispositis, regiones in primo Europę quadrante, ad Solstitialem occasum sitæ, naturam habent trigoni, Arietis, Leonis, & Sagittarij: & dominant̃ Iupiter & Mars uespertini. Hæ sunt, si de totis gentibus fiat iudicium, Britannia, Belgica, Germania, Bastarnia, Italia, Gallia, Gallia togata, Apulia, Sicilia, Tyrrhenia, Celtica, Hispania. In his gentibus congruunt mores ad trigonum & dominatrices stellas. Sunt enim impatientes seruitutis,

tis, cupidæ libertatis, armorum & bellorum studiosę, patientes laboris, amãtes dominationem & mundiciem, magnitudine animorum præstantes.

Quia uerò Iupiter & Mars habent se tanquam uespertini, & quia triangulus eorum priore parte masculus est, posteriore femineus, mulierum amoribus minus tenentur, & praui sunt ad libidines alias. Interim tamen retinent fortitudinem, cõmunicationem, fidẽ, amorem erga suos, & beneficentiam. Magis autem naturam Arietis & Martis referunt, Britãnia, Belgicum, Germania, Bastarnia. Quare in his regionibus magna ex parte homines sunt magis feri & truces. Italia, Apulia, Gallia togata, Sicilia, Leonem & Solẽ magis referunt: ideo dominationis cupidi sunt, benefici, & magis amantes communicationis. Tyrrheni uerò & Celtę & Hispani, Sagittarium & Iouẽ. Quare mundiciei amantes sunt.

Reliqua loca huius quadrãtis uergẽtia in medium totius terræ, Thracia, Macedonia, Illyricũ, Græcia, Achaia,

Creta,

Creta, insulæ Cyclades, & maritima loca Asiæ minoris, & Cyprus, spectantia uersus ortum brumalem totius quadrantis, adsumunt naturam trianguli, qui dominatur in ortu brumali, scilicet Tauri, Virginis & Capricorni: & accedunt Venus, Saturnus, & Mercurius. Sunt igitur earum regionū homines magis inter se similes & temperati, dominationis cupidi, generosi, impatientes seruitutis, propter Martem: studiosi Musices, doctrinæ, libertatis, suo consilio constituētes respublicas, popularem gubernationem amantes, legumlatores, propter Iouem: amantes spectacula & mundiciem, propter Venerem: comes, hospitales, iustitiæ & literarum & eloquentiæ studiosi, propter Mercuriū. Rursus ex his aliquæ regiones magis referunt naturā Tauri & Veneris: uidelicet Cyclades, & maritima ora minoris Asiæ, Cyprus. Ideo magna ex parte illi homines sunt dediti uoluptatibus, amātes mundiciem, & corpora diligenter curantes, Virginis autem & Mercurij na

turam magis referunt Grecia, Achaia, Creta. Ideo ibi homines sunt studiosi doctrinæ, & magis animam quàm corpora exercentes.

Capricorni uerò & Saturni naturam referunt Macedonia, Thracia, & Illyricum. Ideo sunt ibi homines cupidi diuitiarum, nec placidi, nec amantes communicationum.

In secundo quadrante, qui spectat Austrum, pars est magnæ Asiæ, India, Ariana, Gedrosia, Parthia, Media, Persia, Babylonia, Mesopotamia, Assyria: quæ sitę sunt ad ortum brumalẽ, quod ad uniuersæ terræ positum attinet. Et congruunt ad hunc trigonũ, scilicet Taurum, Virginem & Capricornum, regunturq; à Saturno & Venere Orientali positu. His igitur naturæ harum gentium congruunt. Colunt enim Venerem, quæ ab ipsis nuncupatur Isis: & Saturnũ, & Solem, quem uocãt Mithram: & multæ sunt ibi naturæ uatidicę, & consecrantur ibi pudẽdæ corporum partes, quia positus ille semen auget, Suntq; gẽtes illæ calidę, & pronæ ad

næ ad concubitum & libidines, deditæ saltationi, & amantes ornatus propter Venerem, & luxum quęrētes propter Saturnum. palàm uerò & non in occulto cum mulieribus concumbūt, propterea quòd planetæ orientali positu eis dominantur: concubitus uerò masculorum oderunt. Multi etiam cum matribus cōsuetudinem habent: & pectore supplices gestus edunt, propter ortum matutinū, & quia pectoris principatus cōgruit cū Sole. Amant in uestitu, & uniuerso cultu corporis, nitorem & mundiciem muliebrē, propter Venerem: & tamen animis & cō silijs sunt generosi & bellicosi, propter ortum matutinum Saturni. Peculiariter uerò magis à Tauro & Venere regunt, Parthia, Media, & Persia. Quare harum regionum incolæ uestitu utūtur florido, teguntq; tota corpora præter pectus: & in uniuersum, deliciarum & mundiciei studiosi sunt.

A' Virgine & Mercurio reguntur, Babylonia, Mesopotamia, Assyria: quæ ideo antecellunt cognitione mathematum,

thematum, & obseruatione motuum cœlestium & siderum. A' Capricorno uerò & Saturno regũtur, India, Ariana, Gedrosia: ideo earũ regionũ cultores sunt deformes, immũdi, beluini.

Media uerò loca huius quadrantis, Idumæa, caua Syria, Iudæa, Phœnice, Chaldæa, Orchinia, Arabia felix, spectant Septentrionem & occasum, iuxta sitũ uniuersæ terræ. Est igitur cognatio cũ triangulo occasus solstitialis, Ariete, Leone & Sagittario: & præsunt Iupiter, Mars & Mercurius. Itaq; hæ gentes magis exercent mercaturas, & rerũ permutationes, & sunt magis uersuti, periculorum contemptores, & insidiatores, & animis seruilibus, & omnino uarij, ut stellarum inter se configuratio talium ingeniorum uarietatẽ efficit. Et harum regionũ Caua Syria, Iudæa, Idumæa, magis Arieti & Marti attribuuntur. Sunt igitur audaces, superstitionum contemptores, & insidiatores. Phœnices uerò & Chaldæi, & Orchinij, Leoni & Soli. Quare hi magis ingenui & benefici sunt, &

ſtudioſi doctrinæ de ſiderum motu & affectionibus, & præ cæteris gentibus colunt Solē. Arabia felix, magis attribuitur Sagittario & Ioui: unde uberitas eſt nomini conueniens, & aromatum copia, & hominū dexteritas, & liberalitas in conuerſatione, contractib. & negociatione.

Tertius trigonus Geminorū, Libræ & Aquarij. In tertio quadrante, qui eſt ad Septentrionem magnæ Aſiæ, ſunt Armenia, Hyrcania, Matiana, Bactriana, Caſpia, Serica, Sarmatia, Oxiana, Sogdiana: ſpectantq; ad ortum Solſtitialem, iuxta ſitum uniuerſæ terræ: & congruunt ad trigonum ortus Solſtitialis, Geminos, Libram & Aquariū. Regūtur autem à Saturno & Ioue, poſitu Eoo. Colunt igitur gentes illæ Iouem & Saturnum, & ſunt diuites, ſplēdentes auro, & in uictu mundæ, & ſapientiæ magorū ſtudioſæ, iuſtæ, liberales, magnanimæ, acres uiciorū hoſtes: amantes cognatorum, adeò ut facile pro eis mortem oppetant, pietate aut gloria moti: caſtę, nitidę, in ueſtitu ſplendi-

splẽdidæ, beneficæ, & excelsæ animis, quę plerũq; efficit matutinus positus Saturni & Iouis. Ex his aũt Hyrcani, Armenij, & Matiani, magis referunt naturam Geminorũ & Mercurij. quare ingenia habẽt mobiliora, & minus candida. Bactrianæ, Caspiæ, & Sericæ gentes, à Libra & Venere regunt. sunt igitur diuites, & amantes Musicę & deliciarũ. Sarmatæ, Oxiani, & Sogdiani, Aquarium & Saturnum referunt, sunt igitur hæ gentes horridiores magis, tetricæ, & incultæ. Cæteræ in hoc quadrante, quæ ad medium uniuersi orbis accedũt, Bithynia, Phrygia, Colchica, Syria, Cõmagene, Cappadocia, Lydia, Cilicia, Pãphylia, spectantes occasum Brumalem, assumũt naturam trianguli occasus Brumalis, Cancri, Scorpij & Pisciũ: & simul reguntur à Marte, Venere & Mercurio. Quare & harum regionum homines, ferè ubiq; colunt Venerem, quæ ipsis est mater deorum, apud alios alijs appellata nominibus: & Martem, cui tribuunt nomen Adonidos, aut etiam a-

lias appellationes, & lugubria eis sacra faciunt. Sunt autem ualde praui, seruiles, laborioſi, cupidi nocẽdi, dediti mercenariæ militiæ, prędas et captiua mãcipia abducẽtes: exercẽt & inter ſe ſe latrocinia, & alij alios in ſeruitutem redigunt, propter Martis & Veneris matutinum concurſum. Quia uerò Mars in triãgulo Veneris in Capricorno exaltationem habet, & Venus in Martis triangulo in Piſcibus: ideo mulieres in ijs locis ualde amant maritos ſuos, & liberos, & ſunt fidæ cuſtodes rei domeſticæ, laborioſæ, officioſæ, ſedulæ & morigeræ. Et in his Phrygia, Bithynia, Colchica, magis referũt naturam Cancri & Lunę. Ideo magna ex parte uiri ſunt timidi, & ſeruitutis patientes: mulieres uerò propter Lunæ exortum, & maſculũ poſitum, uiriles, imperioſæ, & bellatrices, ut Amazones, fugientes uirorum conſuetudinem, armis gaudentes, & ab infantia adſuefacientes puellas ad officia propria ſexus marium: & præcidentes dextras mãmillas, ut ad præliandum magis

gis idoneæ sint: eámq; partem nudantes, ut ostendant se non feminarũ more uiuere.

Syria uerò, Commagene, & Cappadocia, congruũt cum Scorpio & Marte. Sunt igitur earũ regionũ homines, audaces, improbi, insidiatores, laboriosi. Lydi uerò, Cylices, & Pãphylij ad Pisces & Iouem pertinent. Sunt igitur diuites, liberales, negociatores, amantes libertatis, & in contractibus non morosi.

Postremus quadrans est Libyæ, ut communi nomine appellatur, continens Numidiam, Carthaginem, Africam, Phyzaniam, Nasamoniticã, Garamantes, Mauros, Gætulos, Metagonithas. Huius quadrantis situs est ad occasum brumalem, & refert naturam trigoni occasus brumalis, scilicet Cancri, Scorpij & Piscium, & gubernatur à Marte & Venere positu uespertino. Quare sæpe in illis regionibus, propter illorum siderum copulationem, simul duo regnum tenent, uir & mulier, aut frater & soror: ut uir mari-

bus, & mulier mulieribus imperet, & idem in successionibus seruetur. Sunt autem ualde calidi, & proni ad mulierum cõcubitum, raptores coniugum. & in multis locis Reges primùm concumbunt cum nouis nuptis: alicubi communes sunt multorum coniuges. & uiri muliebrem ornatũ amant, quia Venus eis præest: audaces tamẽ sunt, & ad malitiam astuti, magi, impostores, temerarij, contemnentes pericula propter Martem. Ac Numidę, Carthago, Aphrica, magis familiares sunt Cancro & Lunæ. Ideo consuetudo uitæ eorum magis ciuilis est, & officiosa in communicatione & negociationibus, & degunt in magna rerum affluentia. Metagonitæ, Mauritani, Getuli, referunt naturam Scorpij & Martis. ideo magis fœdi sunt, & carniuori, contemnentes periculorum & uitę, & domesticis bellis se mutuò perdentes.

Phyzania, Nasamonitæ, & Garamantes, ad Pisces & Iouem pertinent: ideo sunt liberi, simplices ingenijs, amantes laborum, placidi, mũdiciei & liberta

libertatis cupidi magna ex parte, & propter Iouem colunt Hammonem.

Huius uerò quadrãtis ea pars quæ ad mediũ orbis terrarum uergit, Cyrenaica, Aegyptus, Thebais, Marmarica, Oasis, Troglodytæ, Arabes, Azania, Aethiopia media: hic totus tractus oppositus ortui Boreali, assumit aliquid naturæ trianguli ortus Borealis, Geminorum, Libræ & Aquarij: & simul dominantur Saturnus, Iupiter, & Mercurius. unde & harum gentium homines, cum regantur uespertino positu horum planetarũ, reuerentes sunt deorum, superstitiosi, diditi cæremonijs, & funerum ritibus, & mortuos terra cõdentes, & amouentes ex conspectu, propter uespertinum positum. Varijs autem legibus & cæremonijs utuntur. suntq; in parendo humiles, timidi, pusillanimes, & omnia tolerantes. In imperijs uerò animosi & magnifici: & uiri plures uxores habent, & feminæ multos uiros: proni feruntur ad libidines, & cum sororibus consuetudinem habent: & in gignẽdo ma-

gna est uirorum potentia, & in conceptu magna mulierum fœcunditas, cõueniens eius terræ ubertati. Multi autem uiri ignaui sunt, & effœminati animis: aliqui & partes genitales excindunt, propter maleficorum planetarum & Veneris uespertinũ positũ.

Ex his gẽtib. uerò Cyrenaici Marmaricæ & inferioris Aegypti incolæ, Geminorum & Mercurij naturam referũt. Ideoq; sunt cogitãtes, intelligẽtes ac sagaces, in omnib. reb. & præcipuè in sapientia & diuinis rebus, magici, & arcana sacra exercentes, & maximè disciplinarum capaces. Thebaida qui tenent, & Oasim, & Troglodyticẽ, ad Libræ & Veneris naturam pertinent. ideo calidi sunt, mobiles, & uoluptatibus diti. Arabes, Azani, Aethiopes medij, ad Aquarij & Saturni naturam pertinent: ideo carnibus & piscib. magis uescuntur, & sunt uagabũdi, agrestem & beluinam uitam agentes.

Hactenus exposui in genere, quæ sit familiaritas planetarum & signorũ cum singulis gentib. & quæ inde proprieta

prietates existant. Nunc, propter faciliorem usum, ad singula signa certas gentes adcommodabo, hoc modo.

## *ADMONITIO DE particularium prædictione.* 4

His expositis, huic parti hæc adiungi utile est. Fixarum enim stellarũ singulæ illis regionibus significant, quibus & Zodiaci partes attributæ sunt, uicinæ his stellis, adspicientibus eas regiones, inducto per eundem polũ circulo, & propterea cognationem habentibus cum ijs Zodiaci partibus.

Præcipuis uerò urbibus ea loca Zodiaci maximè significant, in quib. Sol & Luna, cum initia essent extructionis earum, fuerunt, ut in genesi & excardinibus Horoscopus. Quarum autem tempora extructionum non reperiuntur, mediũ cœli genituræ principum aut regum quolibet tempore sumatur. Inde summatim pertexi prædictiones poterunt, præcipuè de insignibus accidentibus uniuersarum

regionum, aut urbium. cuius considerationis modus erit talis:

Prima & efficaciſſima cauſa talium euentuum, eſt copulatio Solis & Lunę in defectibus, & ſtellarum eo tępore tranſitus.

Primùm autem locus indicandus eſt, cui regioni aut urbi Solis aut Lunæ defectus, aut ſtellarũ Saturni, Iouis & Martis ſtationes portendant.

Secundò, tempus indicandum eſt, quando, aut quamdiu duraturi ſint euentus.

Tertiò, genus euentuum: ut, fames ne, an bella ſignificentur.

Quartò, ſpecies, quis ſit modus euentuum: ut, qui ſint futuri uictores.

## DE CONSIDERATIone regionum, ad quas pertinent affectus.

Primùm de loco coniecturam ita faciemus. In defectib. Solis & Lunæ maximè inſignibus, conſiderabimus locum Zodiaci, in quo fuit luminum defectus,

fectus, & regiones ei loco iuxta trigonorum distributionem familiares: & quæ urbes propter horoscopum in extructione, aut propter locum quem eo tempore lumina tenuerunt, aut propter mediũ cœli in natiuitatib. principum earum regionum familiaritatem habent, cum loco defectus.

Quas autem regiones aut urbes ita congruere cum loco defectus uidebimus, ad has magna ex parte euentus pertinere iudicabimus: maximè si cũ signo, in quo fuit defectus, copulẽtur, & si defectus illis regionibus supra terram extiterint.

## DE TEMPORE euentuum. 6

Secunda doctrina de tempore significationum, & duratione, talis est. Cũ enim defectus Solis & Lunæ non ijsdem horis inæqualibus in omnibus regionibus fiant, nec obscuratio corporum, nec duratio similis sit: primùm, in qualibet regione pro proportione sumentur, hora Ecliptica, & poli altitudo,

altitudo, & cardines, ut in geneſi. Deinde, quot horis Aequinoctialibus in qualibet regiõe, pro proportiõe, duret obſcuratio, conſiderandum eſt.

His inquiſitis, quot horas Aequinoctiales inueniemus, tot annis durabit euẽtus eclipſis ſolaris, tot uerò mẽſib. eclipſis lunaris.

Initia uerò & incrementa effectionum, cognoſcemus ex loco defectus, aſpiciente cardines. Nam cum locus erit in Horizonte orientali, initium erit à quadrimeſtri proximo poſt defectum. Vehementiores autem progreſsiones erunt in primo triẽte uniuerſæ durationis. Sed ſi locus defectus erit in medio cœli, initia erũt ſecundo quadrimeſtri, & uehementiores progreſsiones in ſecundo triẽte. Sin autẽ erit locus defectus in Occidẽtali horizonte, initia erũt tertio quadrimeſtri, & uehemẽtiores effectiones in tertio triente.

Verùm particulares remiſsiones & intentiones iudicabuntur, ex coniunctionibus, quæ interim fient in illo loco, ubi

co, ubi fuit Eclipsis : aut in aspicientibus eum locum, & ab alijs stellis unà orientibus, quæ significant effectiones, cum aut in ortu, aut in occasu, aut in stationibus, aut in ortu uespertino, signa adspiciũt, in quib. fuit defectus.

Nam ortus & stationes faciunt incremẽta euentuum. In occasu uerò & occultatione sub radijs, & ortu uespertino, remissiones fiunt euentuum.

## DE GENERE euentuum. 7

Tertium caput est, unde sciaẽ quales futuri sint euentus. Id ex qualitatibus & figuris eorum signorum sumitur, in quibus fuerunt luminum defectus, & locis stellarum dominantium erraticarum & fixarum, & signo ipso in quo fuit defectus, & signo quod est in cardine.

Dominatio autem stellarum errantium ita sumeẽ. Nam qui Planeta pluribus modis congruet ad utrunq; locũ defectus, & ad cardinem qui sequitur, hic so-

hic solus dominabitur, uidelicet qui apparente accessu aut defluxione proximus est, aut qui aspectu aliquo configuratus, aut plus ualet propter domicilium, aut triangulum, aut altitudinẽ, aut propter fines. Sin autẽ non inuenitur idem dominus loci defectus, & cardinis, sed duo: anteferatur quidẽ dominus loci defectus, sed tamẽ adiungatur alter, qui ad utrũq; magis cõgruit. Sin autẽ multæ stellæ pari autoritate utrunq; locũ intueri uidebũtur, anteferẽda erit propior cardini, aut potẽtior significatiõe, aut qualitate familiarior.

Stellarum autem fixarum assumenda est ea, quæ quasi præsidet prætereũti cardini, & splendore potior est secũdum nouem modos, quos in libro octauo Magnæ compositionis tradidi: aut quæ simul oritur in ipsa hora defectus, aut tenet medium cœli iuxta cardines, locum defectus sequentes.

His ita consideratis, & assumptis stellis ad causas iudicandas, figuræ signorum adspiciantur, in quibus fit defectus, & in quibus sunt stellæ dominantes,

tes, unde genus euentuum iudicari poterit. Nam quæ habent humanã figuram in Zodiaco, significãt hominibus. Terrestria uerò significant ijs, quorũ figuræ signis similes sunt. Serpentes mala significant ex anguibus, & feræ mala ex feris. Bestiæ mansuetę significant damna ex domesticis & mansuetis, & ad utilitates uitæ adcõmodatis, ut singularum figurarũ fert ratio, equorum, boum, & aliarum. Et figuræ Septentrionales terrenæ subitos terræmotus, Meridianæ magnos & inexpectatos imbres. Cum locus figurę pennigerę dominat, ut Virgo, Sagittarius, Gallina, damna uolucrũ significantur, earũ præcipuè, quarũ in humano uictu usus est. Si uerò natantium figuræ dominantur, euentus erunt in aquaticis & piscibus: seu marinæ, ut Cancer, Capricornus, Delphinus. tunc enim marinis significatur, & nauigationibus: seu fluuiatiles, ut Aquarius, Pisces. tunc enim fluuiatilib. & fontanis significatur. Argo utrisq; significat. Et in Tropicis & Aequinoctialibus stellis con-

lis communiter nocet eclipsis & aeri & suo tempori. In uere, ex terra nascentibus, & fructiferarum arborũ germinibus, uitibus, ficis, & alijs matureſcentibus. In Solstitio autem æstiuo, nocet messi, & frugũ importationi. In Aegypto aũt propriè & Nili exundationẽ impedit. In autũnali Aequinoctio, sementi & fœno. In Bruma, oleribus, & auibus, & piscibus, eius temporis.

In Aequinoctijs uerò etiam significant sacrorum & religionum mutationes. In Tropicis uerò, aeris & imperiorum. Firma autẽ signa, Taurus, Leo, Scorpius & Aquarius, significãt fundamentis & ædificijs. Sed gemella, Gemini, Virgo, Sagittarius, Pisces, significãt hominibus & regibus.

Et defectus qui magis sunt in Oriẽte, significant fructibus, adoleſcentiæ, & eius fundamentis. In medio cœli, regionibus, regibus, & mediæ ætati. In occasu, legum mutationes, & senectæ casus & neces.

Quàm latè autem euentus uagaturi sint, sumitur ex magnitudine defectu-

um,

um, & ex stellis, quæ in ipso defectu causæ sunt euentuum. Omnia minora fiunt, cum eclipsis Solis uespertina est, & cum Lunæ defectus matutini sunt. In oppositione autem, demunt dimidium. Matutini autem Solis defectus, & uespertini Lunæ, augent mala.

## QUALES FUTURI sint euentus boni aut mali.

In quarto capite propositũ fuit, quales modi sint euentuum, utrum boni, an uerò mali: & quales in utraq; specie futuri sint. Hoc sumitur à natura stellarum dominantium, quæ sunt in præcipuis locis, & earũ commixtione inter sese, & cum ijs locis in quibus esse conspiciuntur. Nam Sol & Luna gubernatores sunt aliarum stellarum, & præcipuę causæ euentuum, & regũt stellarum dominia: & dominantium uires aut confirmant, aut languefaciunt.

Consideratio uerò stellarum, quæ

præcipuum ius in commixtiõe habẽt, indicat euentuum qualitatem. Incipiemus igitur de singulis errantiũ stellarum qualitatibus dicere. Sed hæc breuis prẽmonitio addenda est: Quòd cum generaliter aliquam nomino errãtium stellarum, uim intelligo effectricem similem, siue illa ipsa stella dominetur, siue alia fixa stella, aut locus significeri, similem uim habens: ut si de natura & qualitate in genere dicerem, noñ de stellis.

Nec in mixtionibus tantum stellarum errantium congressus intelligo, sed aliarum quoq; similes naturas, siue fixarum, siue locorum significeri, ut familiaritates cum errantibus suprà indicatæ sunt.

Saturnus cum solus dominatur, generaliter causa est corruptionum ex frigore, & propriè in hominum corporibus morbos diuturnos, tabem, consumptionem, quæ oritur ex catharris, humorũ perturbationem, fluxus, quartanas febres, exilia, inopias, angustias, luctus,

luctus, pauores, interitus, maximè senũ efficit. Bestiarum uerò, quæ sunt utiles hominib. penuriam efficit: & eas quę reliquæ sunt morbis adfligit, adeò ut contagium ad homines perueniat, qui ijs utuntur. In aere frigus horrendũ excitat, glacioſum, nebuloſum & pestilens. Aeris turbationes, denſas nubes, caligines, copioſas niues, non utiles, ſed damnoſas, & unde ſerpentes nociturí hominibus naſcuntur. In fluuijs & mari communiter ſæuas tempeſtates, & naufragia, difficiles curſus, penuriam & interitum piſcium. Ac in mari peculiariter receſſus aquę, deſtituentis alueum, & refluxus. In fluuijs uerò exundationes, & aquarum corruptionem. In terra, fructuum caritatem, penuriam & uaſtitatem, maximè neceſſariorum ad uictum, ſeu per erucas & locuſtas, ſeu per diluuia & imbres, ſeu per grandines, eò uſq; ut homines fame & ſimilibus malis pereant.

Iupiter cum ſolus dominatur, generaliter incrementa efficit. cumq; euentus ad homines pertinent, gloriam, fer

tilitatem, tranquillitatem & pacem ſignificat: auget rem familiarem, corporis & animi bona fouet, beneficia et dona regum promittit, & gubernatores ipſos gloria ornat: ac in genere, bonorum cauſa eſt. Animantiũ uerò quæ uſibus humanis ſeruiunt, multitudinẽ ſignificat, & exitium contrà iſs quę nocent hominibus. In aere autem, temperamentum bonum, ſalubre, uentoſum, humidum, alens res terra naſcentes, nauium curſus iuuat: fluminum mediocria incrementa, & frugum copiam, & his ſimilia efficit.

Mars uerò ſolus dominium nactus, generaliter corruptionis cauſa eſt, propter ſiccitatem. Et cum euentus ad homines pertinent, ciet bella, ſeditiones inteſtinas, captiuitates, excidia urbiũ, populi tumultus, principum iras, & propter eam cauſam ſubitas neces: prętereа & febres tertianas, ſanguinis eruptiones, morbos acutos, uiolentos interitus iuuenum, uiolentiam, iniurias, incendia, homicidia, rapinas, latrocinia. In aere uerò æſtus, uentos calidos,

dos, pestíferos & tabificos, fulminum iaculationes, turbines, ſiccitates. In mari uerò, ſubita naufragia, propter flatus turbulentos, & fulmina, & ſimiles cauſas. In fluminibus uerò aquas exorbet, fontes deſiccat, & lymphas corrumpit: frumenta, & res terra naſcentes diminuit, & uel propter æſtus antequam inuehuntur, uel inuectas incẽ díjs perdit.

Venus cum ſola dominatur, generaliter ſimília Iouí efficit, cum uenuſtate quadam. Peculiariter uerò homínibus gloriam, honores, lętíciam, ubertatem annorum, placida coniugia, numeroſam ſobolem, gratiam in amicítíjs & congreſsíbus, incrementa facultatum, mundícíem in uíctu, comitatem, reuerentíam religíonum tríbuit: præterea & bonum habitum corporis, & familiaritatem cum príncípíbus.
In aere uerò, temperatos uentos, humídas & fœcundas conſtitutiones, bonam tempeſtatem & ſerenitatem, fœcundos imbres, nauigationes felices & lucroſas, fluminum exundationes,

copiam iumentorum, & fructuum terræ abundantiam.

Mercurius cum solus dominatur, generaliter illius stellæ naturæ se accõmodat, cui iungit: sed celeres motus significat. In humanis negocijs, celeritatem, industriã & callidit atem, ad ea quæ agenda sunt. Insidiator in latrocinijs, furtis, & in piratica: facit difficiles anhelitus, iunctus maleficis, & morbos siccos, & quotidianas febres, tusses, anhelationes, tabẽ, & mutationes in cæremonijs, religionibus, reditibus regijs, institutis & legibus: iuxta naturam stellæ, cui iungitur. In aere, cum sit siccus & celer, & circa Solem propè uoluatur, uentos ciet inordinatos, celeres, subitò mutabiles, tonitrua, fulmina, hiatus, terræmotus, & fulgura. Et his causis interdũ exitialis est animãtib. & plantis. Cum est occidẽtalis, diminuit flumina: cum est orientalis, auget.

Talis est, ut dixi, natura cuiusq; planetæ per sese: sed mixti alijs, pro uarietate adspectuum & signorum, & positu ad Solem, conuenienter mutant actiones,

ctiones, & ex commixtione naturarũ uariæ qualitates existunt. Cum autem impossibile sit, singularum mixtiõnũ qualitates exponere, & omnes configurationes recitare, quarum tanta est uarietas, hæc consideratio singularum Mathematici sagacitati & prudentiæ relinquatur.

Sed hæc diligenter obseruabimus, quæ sit stellarum euentui dominantiũ familiaritas & cognatio cum illis regionibus, urbibus ue, quibus euentus imminent. Etenim beneficæ stellæ, & locis euẽtui obnoxijs cognatiõe aliqua iunctæ, si non superentur ab alijs contrariæ sectæ stellis, efficacius hoc quod pollicentur, naturæ suæ bonitate absoluunt. Si nulla intercedat eis cognatio, aut superentur ab aduersarijs stellis, minus prosunt. Ita noxiæ stellæ dominiũ consequutæ, si & locis euentui obnoxijs consenserint, & cõtrariæ sectæ stellis succubuerint, minus lędunt. Si uerò nec regionib. ipsæ præfuerint, nec impeditæ fuerint ab alijs, quarum in regiones significatis euentibus subiectas

ius quoddam est, ac dominium, tum uehementius suæ constitutionis pestem infligunt.

Vt plurimum autem uniuersalibus malis potissimum corripiunt ij, in quorum genituris præcipua loca, nempe luminum & cardinum, eadem sunt cũ illis, à quibus uniuersalium euentuum causæ proficiscuntur: id est, eclipticis ipsis, aut his oppositis. Sed periculosum in primis, & ineuitabile est, si ipsæ eclipticorum locorum partes, aut oppositæ, coinciderint cum gradibus alterutrius luminum, quos genituræ tẽpore possederunt.

## DE COLORIBVS IN *Eclipsibus, Cometis, & alijs huiusmodi.*

Obseruandi sunt in uniuersalib. considerationib. colores in deliquijs, cùm ipsorum luminum, tum eorum qui iuxtà fiunt & existunt: ut uirgarum, arearum, & quæ alia sunt huiusmodi. Si enim nigra apparuerint, aut subliuida, ea quę de Saturni natura exposuimus, signi

significant. Si candida uisa fuerint, Iouis: si rutila, Martis: si flaua, Veneris: si uaria, Mercurij naturæ euentus respondebunt. Quod si tota luminum corpora, aut totam uicinam circumquaq; regionem coloris proprietas occuparit, pluribus regionum partibus significata, eclipsium euentura decernit. Sin quacumque à parte constiterit, illis in quam se coloris proprietas inflectit, futura denunciat.

Obseruandi sunt & Cometę, siue in deliquijs, siue alio quouis tempore effulserint in uniuersalium euentuum cõsideratione: quales sunt quæ uocantur trabes, tubæ, dolia, ac huiusmodi. Etenim effectus hæ pariunt, quales à Marte cientur, ac Mercurio: ut bella, æstus, motus turbulentos, & alia quæ ista sequi consueuerunt. Cæterùm quibus locis minitentur & intentent effectus suos, ostendunt Zodiaci partes, sub quibus collectæ ipsæ & incensæ, primùm exarserint: tum inclinationes comarum crinitæ pro ratione formæ. Ex ipsa uerò collectionis ardentis uelut fa-

cie ac forma, affectionis ſpecies & res, in quam illa peruaſura eſt, innoteſcet. Duratio flammæ de euentuum intenſione aut remiſsione, habitudo ad Solem de initio eorundem, quando primùm inuadent, docebit. Nam cum matutinæ fuerint, diuq; flagrarint, celerio res: ſin ueſpertinæ, tardiores euentus arguunt.

*De nouilunio anni.*

Poſtquã expoſita nobis eſt ratio uniuerſalis cõſideratiõis eorũ, quę regionibus & urbib. portendũtur: ſequit nunc ſubtilior quædã exquiſitio eorũ, q̃ ſingulis anni tẽporib. euẽtura ſint. Cuius rei tractatio quãdã requirit de nouilunio anni diſputationẽ. Quòd igit̃ illud principium capi oporteat in qualibet ſolis cõuerſiõe, à redítu ad locũ undeexierat, ipſa res docet, cùm effectu ipſo, tũ etiã nomine. Quale quis aũt principiũ in circulo ſimpliciter cõſtituat, omnino cogitatiõe nõ deprehẽdí poſſe uidetur. In eo quidẽ circulo, qui per medium ſignorum ducitur, probabili ratione principiorũ loco aſſumí poſsunt

puncta

pũcta ab Aequinoctiali, & duob. signa ta Coluris: hoc est, bina Aequinoctialia, & bina Tropica. Sed rursus & hic dubitare quis poterit, quo pũcto tanq; primario & principe utaẽ. Et quidẽ simplicis ac circularis naturæ proprietate cõsiderata, nullũ horũ tãquã totius ambitus principiũ erit. Attamẽ qui de his rebus commentati sunt, uno aliquo horum quatuor punctorũ usi sunt: alio sanè alius, prout quisq; uel rationib. uel naturæ suæ affectu ad hoc illudue statuendum ductus est. Etenim hæ partes singulæ eximium quiddam habẽt, cur principium & nouum annum uendicare sibi iure uideantur. Aequinoctij uerni proprium est, quod diurna spacia tunc primùm noctes superare incipiunt, quodq; tempus est affluentium humiditatum. At humiditatis uis potissimum, ut & antea diximus, in exordijs genituræ regnat. Solstitium, longissimum diem adducit. Apud Aegyptos uerò, & Nili exũdationem adfert, & de ortu Canis cõmonefacit. In Aequinoctiũ autumnale incidit tẽpus colli-

collígendarum & reponendarum frugum, & quasi de nouo terræ semina mã dantur. Bruma dies, qui antea decreuerant, augere rursus ac producere incipit.

Sed mihi conuenientius & naturaliùs esse uidetur, ad indicandos euentus annuos, quatuor assumere principia: obseruatis ijs quæ proximè præcesserunt, nouilunijs Solis & Lunæ, ac plenilunijs, & maximè si in quibus horum alterutrũ luminum defecerit: atq; ita iudicium facere de statu ueris ex principio Arietis, de æstate à Cãcro, de autumno à Libra, de hyeme à Capricorno. Nam ipsas quidem uniuersales cõstitutiones temporum, & modos, Sol parit: unde & penitus imperiti Mathematum prænoscunt futura.

Sed & signorum proprietates ad significationes uentorũ, & generaliũ qualitatum assumendæ sunt.

At mutationum, quæ in ipsa tempora particulatim incident, incrementa aut diminutiones, indicabunt uniuersaliter

saliter quidem uicinæ punctis prædictis luminũ coniunctiones, & planetarum cum his configurationes. Particulatim uerò, congressus eorundem in singulis signis, & plenilunia, itẽq; stellarum transitus: quam considerationẽ menstruam nominare licet.

## DE PARTICULARI UI & natura signorum, ad aeris constitutiones uariandas.

Ad annuas constitutiones iudicandas, notas esse oportet etiam particulatim naturales proprietates signorum. Quantũ enim ad aeris & uentorũ mutatiões stellarũ singularũ, nimirũ planetarum & inerrantium stellarũ, quę Planetis natiua ui atq; effectibus congruunt, quantum ad uentorum, & quatuor anni temporum statũ integra signa conferant, nos suprà ex posuimus. Restat nunc, ut particulares quoq; signorum naturas persequamur.

Arietis signum generatim propter Aequinoctialem significationẽ est tonitruosum,

nitruosum & grandinosum: particulatim uerò intenduntur hæc & remittuntur de proprietate stellarum inerrantium, quibus describitur. priores illius partes imbres cient & uentos, mediæ temperatæ sunt, extremæ æstuosæ & pestilentes. Boreæ æstuosæ & noxiæ, Austrinæ glaciosæ & subfrigidæ.

Tauri signum generatim præ se fert utramq; crasim, & subcalidum est: particulatim uerò priora, maximè ubi Pleiades consistunt, turbulenta sunt, flatuosa, & nebulosa: media humida & frigida. Postrema circa Succulas ignea sunt, fulminaque & fulgetra ciēt. Borea intemperata, Austrina instabilia & incerta.

Geminorum signum generaliter temperatã constitutionem efficit, particulatim uerò præcedentia plus humectant & corrumpunt, media temperiem habent. Sequentia mixta & incerta constant natura. Borea uentos cient, & terras cõcutiunt: Austrina desiccant & urunt.

Cancri signũ generaliter serenat, & æstiuas

æstiuas constitutiones parit: particulatim uerò partibus primoribus, & circa præsepe suffocat, terras quatit, & caliginem offundit: mediis temperatum est, posterioribus uentos commouet. Tam Boreæ, quàm Austrinæ partes igneæ sunt, noxiæ, & æstuosæ.

Leonis signum, generaliter æstus ciet & suffocat: particulatim uerò, partes præcedentes suffocãt, & pestilentes sunt: mediæ temperatæ, postremæ siccę, & corruptionũ effectrices. Borecę instabiles & igneæ, Austrinæ humidę.

Virginis signũ in uniuersum humidũ est, & tonitruosum: particulatim uerò principiũ eius calidius est, & noxiũ: mediũ, tẽperatũ: finis, aquosus. Borea pars uentorũ cõmotrix, Austrina tẽperata.

Librę signum in uniuersum uarium est, & mutabile: particulatim uerò in primis partibus & mediis temperatũ, postremis aquosum: Boreis, uẽtosum: Austrinis, humidũ et pestilẽs. Scorpij signũ in genere est tonitruosũ & igneũ: particulariter uerò initiũ niues producit, mediũ tẽperatũ est, finis turbulẽtus.

Sepien-

Septentrionalia æstuant, Austrina humectant.

Sagittarij signum in genere humidum est. Particulatim uerò, in principio sui humidum, medio temperatum, fine igneum: latere Boreali flatuosum, Austrino humidum & mutabile.

Capricorni signum in genere humidum est: particulatim uerò anteriobus partibus æstuans & noxium, medijs temperatum, ultimis pluuiosum: Austrinis & Boreis humidũ & noxiũ.

Aquarij signum generaliter frigidũ est, & aquosum: particulatim uerò inci piẽs, humidum. In medio, temperatũ; desinens, uentosum: uersus Boream, æstuans: uersus Austrum, niuosum.

Piscium signum generatim frigidũ & flatuosum est: particulatim uerò, anteriora temperata, media humida, posteriora æstuantia: Borea, flatuosa: Austrina, aquosa sunt.

## DE PARTICULARI *tempestatũ consideratione.* 12.

His ita expositis, sequitur particularium

rium significationum tractatio, quæ talis est. Vna est ratio generalis, ex qua drantibus significri sumpta, qua, ut dixi mus, obseruanda sunt, quæ proximè Tropicas & Aequinoctiales significationes, nouilunia & plenilunia, cũ cardinibus ad nouiluniorum & plenilu niorum momenta in unoquoq; propo sito climate, tanquam genituræ tempo re cõstitutis. Deinde cognoscẽdæ sunt stellæ, quæ locis nouiluniorum & plenilunionum dominantur, & sequentibus cardinibus, sicut suprà in eclipsiũ doctrina monstrauimus. Ita uniuersalia ex quadrantum proprietate scrutari atq; eruere, sed horum uel intensiões uel remissiones, & quarum qualitatũ, quarum ue constitutionum effectiões sint futuræ, ex natura stellarum præsidẽtium edisscere oportet.

Altera ratio menstrua est, qua, quæ in singulis fiũt signis, nouilunia & plenilunia consideranda sunt eodem modo: hoc solo obseruato, si interlunium fortè anteceſſerit proximè pũctũ Tropcium, aut Aequinoctiale, ut interlu

nijs illo toto quadrante utamur: si plenilunium, ut pleniluniis. Considerandi sunt & cardines, & stellæ locis utrisq; dominantes, maximeq; proximæ fulsiones applicationesq;, & defluxiones errantium stellarum, earumq; proprietates, & locorum in quib. uersantur: nec non quos uentos commoueant aut ipsi planetæ, aut signorum partes in quibus existunt: præterea in quem uentum uergat atq; inclinet Luna latitudine sua, secundum ecliptícæ obliquitatem. Ex quibus omnibus (notatis potioribus) mensium generales status ac uentos præcognoscere poterimus.

Tertia ratio est subtilioris cuiusdam obseruationis remissionum & intensionum, qua notandę sunt Solis Lunęq; particulares configurationes, non solũ in interluniis & pleniluniis, sed etiã harũ mediæ: id est, quadratæ. Vbi animaduertendum, triduo ferè antequam Luna cursu suo Soli exæquatur, id est, triduo ante quadraturas, nonnunquã & triduo post, significationes mutatio

num

num sese promere, cùm propter hos ipsos positus, tum & alios, nimirum trigonos aspectus, & sexagonos, ac planetarum cæterorum cum Luna configurationes. Nam ex horum natura cõueniẽter mutationis proprietas deprehenditur, quæ respondet aspicientium stellarum & signorum erga circumdãtem nos aerem ac uentos familiaritati.

Verùm harum ipsarum particularitũ constitutionum intensiones remissiones ue fiunt potissimum, ubi inerrantium stellarum eæ, quæ maximè illustres sunt & efficaces, manè aut uesperi fulserint, cum ipso ue Sole emerserint, aut decubuerint. Etenim plerũq; particularem statum ad modum suarum naturarum immutant.

Idem iudicandum est euenire, ubi lumina cardines transeunt. Ad talem enim eorum habitum horariæ intensiones & remissiones uariantur: sicut ad Lunæ motum æstus maris cientur, atq; refluxus: itemq; Luna cardines transeũte, uentorum accidũt mutationes, quas ipsa à medio Solis itinere deflectens efficit;

ficit. Vbique autem hoc tenendum est, quod præeat, ac potior sit prima atque uniuersalis causa: sequatur uerò illa, à qua particularia proficiscuntur accidentia. Tum uerò roboretur atq; intendatur effectio, cum quæ uniuersali constitutioni dominantur stellæ, his à quibus oriũtur particularia aspectu & configuratione sese coniunxerint.

## DE SIGNIFICATIONE Meteororum.

Profuerit & ad particularium significationum præuisiones, notare signa, quæ iuxta Solem, Lunam & stellas apparent. Ac Solem intuebimur oriẽtem, coniectaturi de tempestatibus diurnis: occidentem, de nocturnis: de diuturnioribus, cum Luna configuratũ. Nam singulę figurę tempestatem, qualis usq; ad proximam futura sit, declarare consueuerunt. Si ergo pura luce, caliginis, uarietatis, & nubium expers sol oritur, uel occidit, serenã tempestatem pollicetur. Sin uario orb, eaut flammeo prodierit, abieritue, aut rubentes emiserit radios, siue in rectum exporrectos,

ctos, siue in sese retortos, aut ex una parte in subiectis nubibus ea quæ παρήλια uocãt, formarit, nubes ue sub rutilo tinxerit colore, & quasi per totas nubes longos extenderit radios, uehemẽtes significat flatus, erupturos ab illo angulo, penes quẽ uisa illa cõstiterint. Niger aut luridus si in ortu occasuue apparuerit, nubibusq; inuolutus, aut area circũdatus ex una parte, aut parte utraq; parelijs, aut radios suppallidos nigrosue sparserit, hyemes minatur, atq; imbres.

Lunam obseruabimus in suo itinere triduo ante uel post interlunia, aut plenilunia, & medium tempus, quo erga Solem quadratur. Nam si tenui puraq; luce nituerit, nihilq; illam circũdederit, serenitatem spondet. Si tenui rubuerit luce, totaq; perspicua uisa fuerit, etiam ea parte quæ luce destituitur, uentos excitabit inde orituros, quò ipsa declinat. Nigra, spissa, pallida, hyemes atq; imbres minatur.

Obseruandæ sunt & areæ, quæ Lunam quandoq; circundant. Nam si una fuerit, & pura, paulatimq; marce-

ſcens euanuerit, ſerenitatem: ſin duæ aut tres, hyemes ſignificant. Et has quidem, ſi ſubrubræ fuerint, & quaſi perruptæ, cum impetuoſis ac uehementibus uentis inuaſuras denotant. Si caliginoſæ ac ſpiſſæ, cum niuibus: ſi luridæ, nigræ & laceræ, cum utriſque. Denique quo plures fuerint areæ, tanto maiores hyemes portendunt. Errantibus & inerrantibus ſplendidioribus circumfuſæ areæ, proprietate coloris ſui denunciant ea, quæ naturæ ferunt ſtellarum.

Inerrantium etiam minorũ uelut cõgeſtos aceruos aſpiciemus, quo colore, quaúe magnitudine uideantur. Nã ſi ſplendidiores grandioresq; apparuerint ſolito, quacunq; in plaga cœli conſtiterint, ab ea uentos ſpiraturos deſignant. Quinetiam nebuloſi gyri, ut in Præſepi, & ſimiles, ſi cœlo ſereno aut exiles ſint, aut uiſum fugiant, aut ſpiſſi denſiq; eſſe uideantur, nimbos: puri uerò & continuò ſcintillãtes, uentos turbulentos prædicunt. Si ſtellarũ duarum, quæ utrinq; ad Præſepe cernuntur,

nuntur, Asinorum appellatione insignes, una quæ Septentrionalis est non appareat, flabit Aquilo. Si uerò altera Australis abdita delituerit, Auster spirabit.

Præterea quæ certis temporibus in cœlo se ostenduut, & Ostenta dicuntur, eorum crinita sidera semper squalorem uentosq; prænunciant: eo quidem uehementiores, quo pluribus in partibus & ipsorum corpora grandiora fuerint.

Traiectiões & iaculationes stellarũ si ab uno angulo ferantur, ab eo uentos mox sequuturos denunciant: si occurrant inter se, prælia suscitant. Si uerò de quatuor plagis prosiliant, hyemes uarias, fulmina, fulgetra, aliaq; huiusmodi adferunt.

Nubes in quibuscunq; finibus conspectæ similes floccis lanæ, hyemes sequuturas demonstrant.

Arcus quoq; quocunq; tempore exiterint, si serenum sit cœlum, hyemes: si hyems adsit, serenitatem pollicẽtur. Vt autẽ hæc concludantur, sciendum

generalia uisa aeris certis temporibus eadem portendere, quæ sunt in superioribus de suis quæq; accidentibus explicata. Atq; hactenus placuit de generali inspectione uniuersalium & particularium signorum breuiter disserere. Quod supereſt, geniturarum indicia, sicut & ordo postulat, nunc deinceps exequemur.

# LIBER TERTIVS
## PTOLEMAEI.

## DE CONCEPTV, ET edito fœtu.

CVm hactenus tractata sit cõsideratio uniuersaliũ euẽtuum, quę & prior esse dicitur, & sæpe uincit particulares significationes in naturis singulorum hominum, quarũ prædictiones uocamus Genethliacas: sciẽdum est, in utroq; genere similem esse considerationem & motuum, & effectuum. Nam & uniuersalium euentuum

turum, & particularium, in singulis hominibus, causa est motus Planetarum, & Solis ac Lunæ. Sed artificiosa obseruatio motuum, præmonstrat corporũ mutationes, si conferantur ad ea quæ fiunt iuxta transitus siderum, habentium similes effectus in aere, nos circumdante. Verùm uniuersales causæ efficaciores sunt, particulares non tam sunt efficaces. In utroq; genere autẽ sunt uaria initia, ex quibus prædicimus iuxta astrorum positus, ea quæ significantur. Ac uniuersalium multa sunt initia. Non est enim unum urbium ac regnorum principiũ: & hæc initia accipimus non semper ab ijsdem causis, sed interdum etiam à circumstãtijs, & alijs quæ augent causas. Ac ferè in omnibus testimonio utimur eclipsiũ, quę sunt maiores, & magnarum coniunctionum. Singulorum uerò hominũ habemus initiũ unũ, & multa. Vnũ enim, cũ principiò nascit̃ homo. id enim habemus. Accedunt autem deinceps ordine, per gradus ętatis, ad primum initium, multæ significationes alię: sed primum ini-

tium prestantius est. propriè enim effi cit & corpus, & reliqua initia. Hęc cũ ita se habeant, à primo initio considerã tur uniuersaliter qualitates corporis: à reliquis initijs sumuntur pro tempore accidẽtia, secundũ magis & minus, seeũdũ distinctiões ætatis, per gradus.

Initium nascentis hominis aut est naturale, quo concipitur: aut est præci puũ potentia, quo ediũ fœtus ex utero.

Si tempus conceptus deprehensum est, seu casu, seu obseruatione, magis cõuenit positum siderum qui tunc fuit considerare, in iudicandis corporis & animæ qualitatibus. Postquam enim initiò semen consequitur aliquod tem peramentum ex circumfuso cœlo, etiamsi paulatim, cum formatur corpus, fiunt alterationes: tamen, quia semen adiungit sibi nutrimentum conueniẽs in augmentatione, idq; naturaliter cõmiscet, & sibi attemperat, retinet simili tudinem prioris qualitatis.

Si autem tempus illud ignoretur, ut plerũq; fit, initiũ erit egressus ex utero. Nam & hoc tempus potissimum est, & hac

& hac tantum ratione ab altero initio differt, quòd animaduerso conceptu, prædici possunt ea quæ præcedũt egressum ex utero. Ac cõceptus quidem inchoatio esse aliqua potest: sed egressus ex utero, est principale exordium uitæ, tempore posterius: potentia uerò, æquale & præstantius. Et propemodũ conceptus dici posset seminis generatio: egressus autem ex utero, generatio hominis. Multa enim tunc fœtus adipiscitur, quæ antea in aluo nondum ei aderant: ac propria quidem humanæ naturæ, ut sensuum actiones, & corporis motus.

Etsi autem positus cœli in partu nõ uideatur primùm condere naturam: tamen conducit ad hoc, ut fœtus exeat in lucem, postquam conueniente cœli actione maturuit.

Natura enim, postquam fœtus perfectus est, mouet eum, ut exeat ex utero, tali positu cœli, qui respondet illi constitutioni, quæ fuit initio conceptus. Itaque cœli positus in partu, meritò existimabitur talia

talia significare : non quia efficiat talem naturam, sed quia necessitate quadam naturali congruit, & similem uim habet.

Cum igitur instituerim & hanc partem compendiò absoluere, iuxta eum ordinem quem hactenus secutus sum, quantum prędictio possibilis est, declinabimus ueterem modum, qui stellarũ mixturas tradit: cum ea ratio confusanea, & propemodũ infinita sit, si quis singulas examinet, & magis ad coniecturas singulariũ pertineat, quàm ad præcepta uniuersalia. Cum igitur illa inquisitio penè infinita sit, & difficilis, omittenda erit. Sed tradam præcepta generalia, ex quibus coniecturę de singulis sumi poterunt: & exponam effectrices qualitates præcipuas, quantũ potero, adcommodatas ad physicam rationem. Et cœli locum, iuxta quem humani euentus considerantur, tanquam metam proponam, ad quam dirigantur qualitates effectrices: ac præcipuè iuxta cognationem corporũ, ueluti sagittæ.

Cæterùm

Cæterùm quid iudicandum sit, cũ multarum stellarum lumen miscetur, relinquemus prudentiæ artificis, tanquam periti sagittarij.

Primùm autem de uniuersalibus, quę consideranda sunt in partu, dicam conuenienti ordine, cum quidem ex partu cognosci omnia possint, quę naturales causas habent. Conducet autem & tempus conceptus cognoscere, ad qualitates temperamenti, ex consideratione conceptus, si quem curiosior scrutatio delectat.

## DE GRADU Ascendentis.

Cum autem sæpe dubitetur de prima & præcipua parte, uidelicet de hora, qua fœtus ex utero egressus est (nã solius astrolabij inspectio potest minutum horę ostendere) reliqua horarum signandarum instrumenta, quibus plurimi utunt̃, sæpe fallũt. Nam solaria errãt, uel quia nõ sunt ritè posita, uel quia gnomones non rectè ad meridianam lineã quadrant. Aquatica uerò non cõ

stant

stant sibi, propter dissimiles aquarum naturas. Eaq; dissimilitudo varias habet causas. Interdum etiam casu cohibentur & resistunt. Necesse est igitur tradi rationem, qua inueniri debeat gradus ascendens Zodiaci, secundum physicam & consentaneam rationem.

Posita igitur hora natalicia, inuenta per ascensiones, adiunge coniunctionem aut oppositionẽ proximè præcedentem. Et diligẽter quære gradũ seu coniunctionis, seu in oppositione eius luminis, quod supra terram est, cum editur partus. Deinde uidendum, quis planeta sit dominator illius gradus, iuxta eas prerogatiuas, quas suprà cõmemorauimus: uidelicet trigonum, domum, exaltationem, fines, fulgorẽ aut configurationem: hoc est, quando gradus ille unam aut plures prærogatiuas habet, propter quas ei attribuẽdus sit dominator. Cum igitur planetã aliquem reperimus, familiarẽ illi gradui, propter unã aut plures prærogatiuas: uidendum est deinde, quem gradum tenue-

tenuerit planeta partus tempore: & quotus gradus erit; iudicabimus parē gradū in exortu ascendentis signi ascē dere. Sin autem duo uel plures participes sint dominationis, ille eligēdus erit, cuius gradus tempore partus propius accesserit ad gradum signi ascendentis, ad huius planetæ gradū ascendens constituendum erit.

Si uerò duo aut plures planetę in hac propinquitate pares erunt, eligemus eum qui propter cardines & conditionem familiarior est ascendenti. Cum autem longius distant gradus huius dominatoris ab horoscopo, quàm à medio cœli, utemur eo numero ad cō stituendum medium cœli. Hoc constituto, & reliquos cardines mutabimus.

## DISTRIBUTIO DOctrinæ de Natiuitatibus. 7

His expositis, si quis uniuersam doctrinā de natiuitatib. distribuat, inueniet, de accidentib. quæ secundū naturā eueniūt, & præuideri possūt, tradi præcepta, uel de præcedētibus natiuitatē,

ut

ut de parentibus: uel de precedentibus & sequentibus, ut de fratribus: uel de his quę in ipso partu accidũt, quorum ratio non est una & simplex: uel de his quæ post natiuitatẽ secutura sunt, quorum ratio magis multiplex est. De his quę à partu indicantur, quęritur an sit mas uel femina, an sint gemini aut plures nati, an sit fœtus monstrosus, an sit durabilis. Postea de his quę secutura sunt natiuitatẽ, quęritur de uitę spacio & diuturnitate: siquidem hæc quæstio discernenda erit à priore, an recens fœtus nutriri possit. Deinde de figura corporis, de morbis & lęsionibus corporis, de qualitatibus & inclinationib. animi, de re familiari, de dignitatibus, de studijs & actionibus, de coniugio, de liberis, de amicitijs, de peregrinationibus. Postrema de genere mortis quęstio est, uicina superiori quæstioni de spacio uitæ. Sed post cæteras quę stiones hoc tradi solet.

De his summatim dicam, exponãq; nudas qualitates effectrices, ac omittã ea quæ uon habent ex natura causam

proba

probabilem, quæ tamen multi curiosè ac præter rem scrutantur: nec accersam diuinationes, quæ ex sortibus aut numeris sumuntur, quæ nullã habent rationem, sed ea tradam quæ habent exploratam certitudinem propter astrorum positus, & locorum proprietates: eruntq; præcepta uniuersalia. Nam si quis de singulis uelit præcipere, eadẽ subindè repetenda essent.

## *Primum præceptum.*

Primùm autem quærendus est Zodiaci locus, qui significat aliquid de nati conditionibus. Vt exempli causa, de dignitate actionum consulendum est medium cœli: de patre, locus Solis adspiciẽdus est. Deinde uidendum, quis planeta dominetur illi loco, iuxta quinque prærogatiuas, ex quibus planetarum dominium æstimatur. Quòd si unus habet omnes prærogatiuas, huic tribuendum erit dominium: sin autem plures planetę concurrẽt, preferendus est is qui habet plurimas prerogatiuas.

Deinde considerandæ sunt & planetæ

netæ dominatoris, & signorum naturæ, in quibus sunt planetæ, & locus dominans. Ac potentia planetę fit maior, cum positus est efficacior: uel propter positum, quem in mundo habent: uel propter positum, qui contingit eis in locis natiuitatis. Sunt enim efficaciores, propter positum quem in mũdo habent, quando sunt in proprijs signis & proprijs locis, & quando sunt orientales & aucti cursu. Præterea plus ualent propter positum in natiuitate, quãdo sunt in cardinibus, quàm in domibus succedentibus. Præcipua uerò loca sunt, ascendens & medium cœli.

Imbecilliores uerò sunt, propter positum in mundo, quando in locis alienis, & non cognatis, & cum sunt occidentales & diminuti cursu. Sed imbecilliores sunt propter positũ in natiuitate, quando cadunt à cardinibus.

Porrò ad iudicandum tempus eventuum, cõsideretur an sint matutini, aut uespertini, ad Solem & horoscopum. Nam quadrantes qui Solem aut horoscopum precedunt, & his oppositi è regione

gione matutini sunt, reliqua loca & sequentia sunt uespertina: & an sint in cardinibus, aut succedentibus domib. Nam cum sunt matutini, aut in cardinibus, habent initia celeriora: uespertini uerò, aut in succedentibus domib. habent tardiores effectus.

## De parentibus. 5

Cuiuslibet loci præstantia, quam in speciali consideratione semper attendere conuenit, ita se habet. Nunc uerò incipiemus à primo capite, iuxta institutum ordinem, dicturi uidelicet de parentibus. Sol & Saturnus conueniunt patri secundum naturam, Luna & Venus matri. Harum stellarum conditio inter sese & erga alias, significat accidentia parentum. Et de fortuna ac diuitijs eorum iudicatur ex comitatu, qui circundat lumina. Significatur enim illustris & splendida fortuna, cum benefici planetæ circundant lumina in ijsdem signis, aut sequentibus conditionis eiusdem: ac præcipuè cum prope Solem sunt matutini, prope Lunã

uespertini, fausti, & nō impediti. Cum autem Saturnus & Venus sunt orientales, & in proprio fulgore, aut in cardine, significant utriusq; parentis manifestam felicitatem, iuxta cuiusq; proprietatem.

Sed si lumina nec iungūtur alijs planetis, nec comitatum habent, significant abiectos & inglorios parentes: ac præcipuè, cum Venus & Saturnus infeliciter positi sunt.

Sin autem habent comites, non quidem suæ naturæ, ut cum Mars ascendit post Solē, aut Saturnus post Lunā: aut si beneficæ stellæ, & quæ sunt eiusdem conditionis, non sunt bene positæ, indicio sunt, parentum uitam esse mediocrem & inæqualem. Sed si pars fortunæ, de qua postea dicam, conuenit cum his stellis, quæ comitantur Solem aut Venerem, recipient salua patrimonia. Sin autem non congruit, aut cō traria est, aut nullæ sunt comites, aut sunt maleficę, patrimonium parentum nō erit eis utile, aut etiam damnosum.

De ætate parentum iudicium faciendum

endum est ex positu planetarum.

Cum enim Iupiter aut Venus intuentur fausto adspectu Solem aut Saturnũ, aut Saturnus Solem fœliciter adspicit, seu coniunctus ei, seu sextili adspectu, seu trigono, cũ nõ sunt abiecti in locis infaustis: coniectura est, parentes fore longæuos. Secus est autem, si fuerint infirmi, abiecti in locis infaustis. Neq; tamen admodum citò extinguentur parentes.

Sed si secus erit, & Mars eleuabit supra Solem aut Saturnum, aut ascendet post eos: aut Saturnus non congruet cũ Sole, sed aut oppositus est, aut quadrato adspectu eum adspicit, & sunt in locis cadentibus, significant parentes debiles.

Sed si sint in cardinibus, aut in succedentibus domibus, significant parentes fore breuis uitæ, aut certis morbis conflictantes. Si sint in primis cardinibus, uidelicet in horoscopo & medio cœli, & locis succedentibus, erunt breuis uitæ.

Nam Mars adspiciens Solem, ut

diximus, citò necat parentes, aut lædit oculos. Sed cum Saturnũ adſpicit, aut in mortẽ, aut in putridas febres, aut in læſiones per uulnera & uſtiones coniſcit. Sed cũ Saturnus adſpicit infeliciter Solem, adfert mortẽ patri per morbos, aut per malorũ humorũ collectiones.

De matre uerò, ſi Iupiter Lunam aut Venerem aliquo modo adſpexerit, aut Venus adſpicit Lunam ſextili aut trigono adſpectu, aut eſt ei iũcta, cum ſunt in locis fauſtis, ſignificant matrem fore longæuam. Sed ſi Mars adſpicit Lunam aut Venerem, ſuccedens ei, aut quadrato adſpectu intuens, uel oppoſitus: aut Saturnus ſolã Lunam ſic adſpicit, cum ſunt diminuti curſu, aut in domibus cadentibus, coniſciunt matrem in morbos tantum, & imbecillitates. Sed cum ſunt aucti curſu, uel in cardinibus, ſignificant breuẽ uitã matribus, aut ſignificãt obnoxias fore ſonticis morbis. Tunc enim portẽdũt breuem uitã, cũ ſunt in oriẽte, aut in ſuccedentibus domibus: ſed ſontici morbi portenduntur, cum illi ſunt in occidente,

te. Nam Mars sic adspiciens Lunã positam in oriente, significat subitas mortes matrum, & uulnera in facie. Sed si adspexerit Lunam occidentalem, mortes adfert per abortus, & talia: & lacerationes aut ustiones corporis. Cum autem adspicit Venerẽ, adfert letales febres, & morbos ex obscuris causis, & caligines, & subitas ægritudines.

Cum aũt Saturnus adspicit Lunã, significat mortẽ et morbos. Cũ enim Luna est in oriente, significat putridas febres: cum Luna est in occasu, significat morbos uteri, & arrodentes fluxus.

Sed ad singulariũ prędictiões de morbis, assumi etiã debet signorũ qualitas, in quib. sunt planetę, qui sunt autores morborũ: quæ in ipsa natiuitate cõmodius inquiri potest. Prętera die magis Solem & Venerem, nocte uerò Saturnum & Lunam magis obseruabimus.

Reliquum est autem in particulari inquisitione, ut sumatur significator proprius matris aut patris, & ponatur in horoscopo tanquam in genesi parentum, & inde reliquæ do-

mus, & præcipuæ significationes constituantur.

Cæterùm & hic & alibi semper regula tenenda est, de planetarum mixtione. Si plures sunt planetæ, & diuersæ naturę in loco significāte, quęrēdū est, cuius uirtus plura habeat suffragia: aut si sunt æqualia suffragia, mixtas ex ipsis qualitates conuenienter ratiocinemur.

Sed si distant, attribuamus singulis certorum temporum euentus: priores matutinis, tardiores uespertinis. Necesse est autem, statim ab initio congruere stellas loci quęsiti, & cæteras quæ principalem uim habent. Et quæ non ab initio congruit, nullā uim habet. Quo uerò tempore euentus futurus sit, non solum ex significatore sciemus, sed etiam ex positu ad Solē, & angulis mūdi.

## *De fratribus.* 6

Ex quo loco coniecturæ de parentibus sumantur, dictum est. De fratribus uerò, si quis generali inuestigatione cōtentus erit, nec suprà quàm possibile est, numerū & particularia exactè quæ-

quæret, physica ratiõe de germanis & ex eadem matre natis sumet iudiciũ, ex signo M. C. & materno loco: hoc est, excipiente Venerem interdiu, & noctu Lunam. Cum enim id signum & succedens significẽt matrem, & eius liberos, erit idem fratrum locus. Si igitur beneficæ illum locum adspiciunt, multos fratres prædicemus, coniecturam facientes à multitudine stellarum, & ex signis. refert enim, utrum sit una figura, an bicorporea.

Sin autem maleficæ stellæ supra hunc locum eleuatæ fuerint, aut fuerint oppositæ ex diametro, significabunt paucos fratres. Adsumunt autem & Solem. Præterea si in cardinibus fit oppositio, & maximè si in ascendẽte sit Saturnus, significat primogenitis: sin autem Mars ibi erit, reliquis mortem minatur.

Sed planetę datores fratrum, si iuxta mundi positum bene se habebunt, fratres dabunt forma & gloria præstantes. Ecõtrà uerò, sordidos & obscuros. Sin autem maleficæ stellæ supra datri-

ces eleuatæ fuerint, aut succedent eis, dabunt non durabiles, masculæ iuxta positum mundi fratres, feminæ uerò sorores. Ac sitę in ortu, significant priorib⁹: sitę uerò in occasu, significant posterioribus. Præterea si datrices stellæ fœliciter adspiciunt signum quod dominat fratribus, cõcordiã fratrum significat. Sin autem congruit cum parte fortunæ, significat societatem facultatum. Sed si nullis adspectibus coniunctæ fuerint, aut oppositæ, significant odia mutua, æmulationem, & uniuersaliter insidias.

Cæterùm si quis particularia curiosius scrutari uolet, datricem stellam collocet in horoscopo, facto themate, ut in genesi.

## DE MASCVLIS & femellis.

Cum iuxta ordinem nostræ considerationis tradita iam sit doctrina de fratribus conuenienti & naturali modo, reliquum fuerit ordiri ea quæ accidunt

cidunt in ipsa generatiõe. Ac primùm tradam breuia præcepta de masculis & fœminis.

Sumitur autem iudicium non ab una re, sed ab utroq; luminari, & ab horoscopo, & stellis habentibus cognationem cum horoscopo, præcipuè in figura conceptus: obscurius autem in figura editi partus.

In summa uerò obseruandum est, utrum prædicta tria loca & stellæ dominatrices, seu plures, seu omnes, sint natura masculæ, an uerò fœmineæ. Inde iudicandum est. Sunt enim discernendæ stellæ, quemadmodum in primis elementis huius artis dixi, masculas aut fœmineas ex natura signorum, aut ex planetarum natura, aut ex positu mundano iudicari.

Nam in ortu sunt masculæ, in occasu fœmineæ. Præterea cum Solem antecedunt, sunt masculæ: cum sequuntur, fœmineæ sunt. Per hæc omnia, facienda est coniectura, quæ stellæ uim

læ uim præcipuam habeant ad significandum sexum.

## De geminis.

Et cum nascuntur gemini, aut plures, ad eundem modum obseruanda sunt duo lumina & horoscopus. Nascuntur enim plures, propter commixtiones, cum duobus aut tribus locis in signibus sunt signa bicorporea: & maximè, quoniam planetæ dominatores eundem locũ adspiciunt, aut duo sunt in signis bicorporeis, aut duo pluresúe planetæ coniuncti sunt. Quando autem in locis insignib. sunt bicorporea signa, & plures planetæ ea adspiciunt, tunc nascuntur etiam plures duobus. Ac numerus quidem sumitur à planeta dominante, collata numeri ratione. Sed sexus iudicatur ex planetis intuentib. Solem, aut Lunam, aut horoscopũ: qui quando masculos, quãdo fœminas significent, antea dictum est.

Cum autem talis dispositio non adiungit ad lumina cardinem horoscopi, talis in matre dispositio plerunq; gemi

nos,

nos, aut etiam plures procreat. Ac peculiariter tres mares, qualis est tergeminorum generatio, gignunt positi in bicorporeis, in locis dictis, Saturnus, Iupiter & Mars: tres femellas, qualis est Charitum generatio, pariunt Venus, Luna & Mercurius effœminatus. Duos mares & unam femellam, qualis fuit generatio Castoris, Pollucis & Helenæ, gignunt, Saturnus, Iupiter & Venus. Duas femellas & unum marē, qualis est generatio Cereris, Proserpinæ & Bacchi, gignunt Venus, Luna & Mars.

Sed hi fœtus plerunq; immaturi eduntur, & sæpe membra monstrosa adferunt. Et quidam eduntur inusitato more, propter talium accidentium concursum.

*De monstris.* 9

Non aliena est doctrina de mõstris ab hoc loco. Primùm enim in his lumina reperiētur procul remota, & nullo modo aspicientia horoscopum, & cardines occupati à maleficis stellis.

Cum

Cum igitur talis dispositio se offeret, ut fit sæpe etiam in natiuitatibus alijs sordidis & infaustis, ut maxime non sint monstrosæ, considerandæ est præcedens coniunctio aut oppositio, & dominatores earum, & natiuitatis dominator. Si igitur natiuitatis significator, & Luna, & horoscopus, aut plures, nullam habent cognationem cum dominatore præcedentis coniunctionis aut oppositionis, nascitur fœtus perplexæ naturę, seu monstrosus.

His ita se habentibus, cum lumina sunt in signis bestialib. & in cardinib. duo malefici, quod nascitur, non habebit humanam naturam. Cumq; nulla benefica stella adspiciet lumina, sed tantum maleficæ, quod nascitur prorsus erit immane, & haberis feram naturam, & nocendi cupidam. Sed si adspiciũt Iupiter aut Venus, nascetur quiddam quod superstitione uertetur in omen: eritq; simile cani, aut feli, aut simiæ. Sin adspexerit Mercurius, imitabitur naturam eorum quę sunt usui hominibus: ut uolucrum, aut porcorum,

rum, aut caprarum, aut boum, aut simile quiddam. Sin autem lumina fuerint in signis humanis, nec tamen cæteræ stellę cognationem cum illis habebunt, nascentur monstra hominum iuxta qualitatem & figuram signorum, in quibus sunt maleficę gubernantes lumina, aut cardines. Si nulla benefica adspicit illa loca, nascuntur prorsus fatua, & monstrosa. Sin autem ea Iupiter aut Venus adspiciunt, nascetur monstrum speciosius: ut hermaphroditi, aut balbutientes. Si autem adspicit ea Mercurius, significat diuinatores, & qui ad quæstum conferunt diuinationes. Solus autem Mercurius infausto loco, gignit mutos ac surdos, interdum etiam astutos & ueteratores.

## DE NATIS QUI NUTRIRI NON POSSUNT, SED MOX EXTINGUUNTUR.

Reliquaest inter ea quæ in ipso partu spe-

tu ſpectantur conſideratio, de nutricatione, quam diſtingui oportet. Interdum enim hæc quæſtio pertinet ad doctrinam de lõgitudine uitæ. Quia hoc, de quo agimus, utriq; queſtioni adfine eſt. Aliquando uerò ſeiuncta eſt, quia differunt ſpacia, de quibus hic diſſeritur. Cum enim de longitudine uitæ quæritur, de his agitur, quos ſenſibili tempore duraturos eſſe exiſtimamus: hoc eſt, annuo circuitu. tale enim tẽpus eſt annus. Tẽpus uerò magis imbecilliũ ſunt mẽſes, dies & horæ. Doctrina uerò de ijs quib. non prodeſt nutricatio, intelligitur de nato nõ peruenìente ad illud tẽpus, ſed propter excellens detrimentum ſtatim moriente à partu.

Altera igitur queſtio ſubtiliorẽ habet conſiderationem, hæc craſſiorem.

Cum enim alterum lumen eſt in cardine, & ſimul eſt planeta maleficus, aut diſtat longitudine, exactè efficiens trigonum duorum æqualium laterum, nec adſpectus interueniat benefici planetę, & dominator luminum ſit in locis maleficorũ, nutricatio deſtituet natum, & mox morietur. Sin

Sin autē non efficiet hic positus triangulum duorum ęqualium laterum, sed succedēt luminibus radij maleficorum, & duo fuerint, lædantq́ uel alterū lumē, uel ambo, uel succedendo uel in oppositione uel per uices, altera malefica alterum lumen: uel altera sit opposita, altera uerò succedens: deerit nutricatio. quia multitudo detrimentorū impedit utilitatem, quæ erat ex distantia succedentis, ad durationem uitæ. Maximè uerò Mars lædit Solem succedens, Lunam uerò Saturnus. Econtrà uerò in oppositione, aut cum superiore loco ponuntur maleficæ, Solem maximè lędit Saturnus, Lunā uerò Mars: maximè si occupent loca luminum, aut dominatoris Horoscopi. Si autem duę fuerint oppositiones, ita ut in cardinibus sint lumina, & maleficæ efficiant trigonum duorum ęqualium laterum, nascuntur uel mortua, uel semiuiua.

Cum autem lumina discedunt ab aliqua coniunctione beneficarum, aut alioqui eas feliciter adspiciunt, & radiōs spargunt in præcedentia loca, uiuet

natum tanto ſpacio, quantus eſt numerus graduum inter prorogatorẽ & proximam maleficam, tot uidelicet mẽſes, dies uel horas, pro modo & uiribus cauſarum nocentium.

Cum autem maleficæ ſpargunt radios in loca priora luminibus, & beneficæ in ſequentia, natus durabit & uiuet.

Rurſus cum maleficæ eleuantur ſupra beneficas, ſignum eſt detrimenti & ſubiectionis. Cum autem beneficæ ſuperant, natus uiuet quidem, ſed alienis parentibus ſubditus erit.

Cum autem benefica aliqua aut ortum aut adplicationem aliquam habet ad Lunam, & malefica eſt in occaſu, natus nutrietur à parentibus ſuis.

Eodem modo iudicetur, ſi multi ſimul naſcentur. Cum aliquod lumen, quod adſpicit cæteras ſtellas, in occaſu eſt, naſcetur ſemiuiuum, aut informis caro, & immatura. Cum autem maleficę eleuãtur ſupra lumen, natum nec nutrietur, nec uiuet, obnoxium cauſis quas dixi.

De uitæ

## De uitæ spacio.

Inter ea quæ considerantur post partum, precipua quæstio est de uitæ spacio. Ridiculum est enim, pronũciare de moribus atq; actionibus nati, qui non peruenturus est ad annos, quibus actiones illæ congruunt. Sed hæc doctrina non est simplex, nec facilis: sed sumitur uariè, à stellarum dominantium prærogatiuis.

Modus autem maximè consentaneus naturalibus rationibus est, qui sumitur ex prorogatore, & ex dominatore prorogatoris, ac rursus ex locis & stellis interficientibus.

## De loco prorogatorè. 12

Primùm quidem existimandum est, locos prorogatores esse, in quibus est stella acceptura dominium prorogationis: horoscopum, à quinq; partibus supra Horizontẽ, usq; ad reliquas quinque & uiginti sequentes, & domum undecimam, cui nomen est Bonus genius, & in dextra parte adspicit hexa-

gono adſpectu aſcendens: item medium cœli, quod quadrato adſpectu aſcẽdens intuetur. Item nonam domum, cui nomen eſt Deus, ac trigono adſpectu horoſcopũ adſpicit. Item occaſum, qui oppoſitus eſt horoſcopo.

Cum autem quærimus in his locis potentiſsimũ, primus erit mediũ cœli: deinde horoſcopus, poſtea undecima domus, ſuccedens medio cœli: deinde occaſus, poſtea nona domus antecedens medium cœli.

Nam omnia loca ſub terra probabiliter reiicimus, quod ad hanc poteſtatem attinet: nec probamus, niſi ea quæ ſupra terram aſcenderunt atq; apparẽt. Imò nec locum ſupra terram, qui non adſpicit aſcendens, ſed ocioſus dicitur, aſſumere prodeſt: nec duodecimã quæ uocatur malus genius, quia ſtellas quę ab horizonte proceſſerũt turbidas reddit, & ab angulo cadit: & cum exhalẽt in eum ex terra uapores humidi, denſi & caliginoſi, propter quos nec color nec magnitudo ſtellarum conſpici poteſt. Deinde uerò ad prorogatorem

adſumen-

adsumenda sunt quatuor præcipua loca, uidelicet Solis, Lunæ, horoscopus, pars fortunæ, & horum dominatores.

## *De parte fortunæ.* 13

Sumes autem partem fortunæ à numero graduum die & nocte, à Sole ad Lunam: sic uidelicet, ut quantum distant Sol & Luna, tantum constituas interuallum inter horoscopum & partem fortunę, iuxta successionem signorum: ac ubi finis erit eius computationis, is gradus eius signi, & is locus erit pars fortunæ. Quem igitur positum habet Sol ad horizontem, hunc habet & Luna ad partem fortunę, & erit pars fortunæ Lunaris horoscopus. Considerari autem debet, quod lumē sequat̄ alterum in successione signorum. Si enim Luna sequitur Solem secundum successionem signorum, numeretur & pars fortunæ ab horoscopo, secundum successionem signorum. Sed si Luna antecedit Solem, numeretur & pars fortunæ ab horoscopo, contra successionem signorum.

Fortasſis autem idem hoc ualet apud ſcriptorem, noctu natis à Luna ad Solem numerandum eſſe, & econtrà ab horoſcopo contra ſucceſsionem ſignorum: ſic idem erit locus partis fortunæ, & eadem ratio poſitus inueniet.

## *Quot ſint prorogatores.*

Interdiu Sol anteferendus eſt, ſi tamen erit in locis prorogatorijs. Sed ſi non erit in locis prorogatorijs, Luna ſumatur. Sin autē neq; hanc ſumere poſſumus, planetas ſumito, qui potiorem habent rationem dominij, collatos ad poſitum Solis & præcedentem coniūctionem, & horoſcopum: hoc eſt, cum ſint quinq; modi dignitatum, planeta eligatur, qui plures habet dignitates. Sin autem illis modis uti non poteris, tandem ſumatur horoſcopus.

In nocte primùm eligito Lunā, deinde Solem, poſtea planetas antecellētes dignitate, in ratione dominij collatos ad Lunam & præcedentem oppoſitionem, & ad partem fortunæ. Sin autem proximè anteceſsit coniunctio, ſumatur

matur horoscopus. Sed si oppositio præcessit, sumat̃ pars fortunæ, aut certè horoscopus erit prorogator.

Sed si ambo lumina & dominator erit in locis prorogatorijs, sumatur lumen, quod maiorem habet potestatẽ. Dominator uerò tunc tantum antefertur utriq; lumini, quãdo loci dignitate prępollet, & rationem dominij habet, iuxta ambas electiones.

## *De modis prorogationis.* 15

Inuento prorogatore, duo modi sumendi sunt. alter secundum ordinem signorum, qui uocatur proiectio radiorum, cum uidelicet prorogator est in locis orientalibus, à medio cœli usq; ad ascendens: alter uerò & secundum ordinem signorum, & contrà, iuxta rationem horalem, cum uidelicet prorogator est in locis cadentib. à medio cœli.

Sunt autem interficientes gradus, qui contra ordinem signorum inueniuntur, in solius occasus horizõte, quia dominum uitæ abscondunt. Stellę uerò uel occurrentes uel adiuuantes, tan

tum auferunt aut addunt aliquos annos, ijs qui per prorogatorem collecti sunt, usq; ad occasum prorogatoris. Eò autem non occidunt, quia non ipsę uadunt ad prorogatorem, sed prorogator ad eas. Ac beneficæ addunt annos, maleficæ diminuunt: Mercurius uerò utris adiunctus fuerit, hos adiuuabit.

De numero uerò additionis aut subtractionis, cõsiderãdus est gradus prorogatoris. Quot enim partes horales erunt illius gradus, interdiu diurnę, noctu uerò nocturnæ, tanta erit annorũ integra summa. Id autem ita intelligẽdum est, quasi sit in ortu gradus ille. Sed si non est in ortu, pro proportione fiat distantiæ subtractio, ita ut in occasu hæc summa in nihilum desinat.

Sed secundum successionem signorum interficiunt loca maleficarum stellarum Saturni & Martis, siue corporibus occurrãt, siue quadrato adspectu, aut ex opposito intueantur prorogatorem. Interdum & sexangulus adspectus idem ualet, ab obedientibus aut uidentibus signis proficiscens. Et quadratus

dratus ad locum prorogatorem secun dum ordinem signorum idem ualet. In terdum & sexangu .us interficit, adfli ctus à tardis ascensionibus. Trigonus uerò, adflictus à breuioribus ascensio nibus. Et cum Luna est prorogatrix, Solis locus fit interfector. Nam occur sus eorum contrarij interficiunt, & cõ uenientes seruant, cum ad prorogato rem accedũt. Neq; tamen semper occi dunt, sed cum sunt adflicti. Impediunt enim, cum in fines beneficarũ incurrũt: aut cum benefica adspexerit quadra to adspectu, aut trigono, aut opposito gradu, interfectorem: aut cum Iupiter uicinus est secundum ordinem signo rũ citra duodecim gradus, aut Venus citra octo.

Et cum prorogator & interfector in uno gradu sunt, sed non in eadem latitudine, cum utrinq; sunt iuuan tia, aut interficientia, uidendum est, quæ pars habeat fortiores opitulato res, uel numero, uel potentia. Nume ro præstat ea pars, in qua plures sensibi liter coniuncti sunt: sed uiribus præ-

ſtat illa, in qua planetæ ſunt aut iuuantes in proprijs ſignis, aut interficientes in alienis. Maximè uerò, quando iuuantes ſunt orietales, interficientes uerò ſunt occidentales.

Vniuerſaliter autem nulli ad ſumendi ſunt, qui ſunt ſub radijs, neq; ad interfectionem, neq; ad auxilium: niſi cum Luna eſt prorogatrix, & Sol fit interfector. Hic à malefica deprauatur, præſertim ſi benefica non adiuuet, aut mitiget malum.

## *De numero annorum nati.*

Numerus annorum ſumitur ex interuallo inter locum prorogantem & interfectorem: non ſimpliciter, nec temerè, ut multi tradiderunt, ex aſcenſionibus quibuſcunq;, & quolibet gradu. Id enim tunc ualet, cum ipſe horizon aſcendẽs fuerit prorogator, aut aliqua ſtella ſimul exoriens, aut aliquis locus qui eſt in ortu, ſecundũ hoc aſcendẽs.

Vnus enim hic modus, phyſicè cõſiderãti propoſitus eſt, obſeruare, quot graduũ ex Æquinoctialis circuli gradibus

dibus sit locus stellæ uel figuræ sequentis in genesi, ad præcedentem. Nam circuli Aequinoctialis tempora æqualiter horizontem & meridianum percurrunt, & ab his æqualiter sumi possunt elongationes. Conuenienter autem pro quolibet gradu sumes unum annum.

Quando igitur in ipso orientis cardine fuerit prorogator & locus præcedens, conuenit accipere tempora Aequinoctialis coorientia cum toto arcu Zodiaci, qui prorogatori & interfectori intercedit. Tot enim ubi præterierint tẽpora Aequinoctialis, interfector ad locum prorogatoris, hoc est, ad cardinem orientis peruenit. Quando in meridianum prorogator inciderit, ex ascensionibus sphæræ rectæ eruenda sunt tempora Aequinoctialis, quæ cũ cõfini Zodiaci arcu meridianum præteruehuntur. Si uerò cardinem occiduum tenuerit, ea sumẽda tẽpora sunt, quæ cum arcu distantiæ prorogatoris & interfectoris mergunt: hoc est, quæ cum opposito euehuntur.

At

At si locus præcedens in his tribus cardinibus non extiterit, sed in spacia media inciderit, non tempora ascendẽtibus arcubus, aut descendentibus, aut cœli culmen prætereuntibus congruentia, sequentem locum ad præcedentem deducẽt, sed diuersa. Similis enim & idem locus est, qui similem & in ijsdem partibus situm habet, & ad horizontem, & ad meridianum. Hoc uerò proximè accidit his, qui cadunt in unũ hemicyclium, ex genere eorũ quæ per communes horizontis & meridiani sectiões ducũtur: quæ hemicyclia æquali inter se distãtia, horæ nimirum æqualis spacio dissidẽt. Perpetuò autem ad illorum hemicycliorum quodcunq;, & horizontem ad meridianum. Aequator eodem modo inclinatur, perinde ac si circa illas sectiones cõuerteretur. Zodiaci partes contrà & mutant suam ad quodcunq; hemicyclium habitudinem, & inæqualibus temporibus utro biq; transeunt. Eodemq; modo in quẽcunq; partem à cardinibus prorogator distet, tempore non æquali hæc præter

uehitur,

uehitur. Vnam tamen constituemus uiam, qua siue ortum tenuerit locus præcedens, siue occasum, siue cœli medium, siue alium quemcũq; his cardinibus interiectum, numerus temporum Aequinoctialis, qui præcedẽtem locum ad sequentem deducat, proportione confici possit. Assumpta enim Zodiaci parte, quæ in medio cœli est, locoq; præcedente & sequente: primùm considerabimus, quot horis inæqualibus absit à meridiano locus præcedẽs. Has colligemus, si partium quę loco præcedenti & medio cœli supra uel infra terram intercedunt, ascensiones rectas eruemus, & has distribuemus in tempora Aequinoctialis, quæ unam horam inęqualem metiuntur, & constituunt diurnam, si supra terram fuerit locus præcedens: nocturnam, si infra horaria tempora ex arcu loci præcedentis cognoscemus. Deinde quoniã signiferi arcus, qui ijsdem inęqualibus horis distant à meridiano, sub uno eodemq; continentur prædictorum circulorum, scrutari oportet quot requiran-

rantur tempora Aequinoctialis, de arcu qui succedit meridiano, ut tot constituantur horę inęquales, quot horis prę cedens locus Meridianum antecedit: tantumq; sit interuallum loci sequētis à Meridiano, quantum præcedentis. His comprehēsis, inuestigabimus rursus ex ascensionib. sphæræ rectæ, quot temporibus Aequinoctialis pars sequens secundum uerum & primum situm, ab eodē meridiano distet, & quot hæc horas inæquales prioribus horis partis præcedentis æquales constituant. Tandem multiplicabimus has ipsas horas quoq; in horaria tempora partis sequentis, (assumptis horis diurnis, quando fit collatio ad medium cœli: nocturnis, quādo ad imū cœli) differētia temporū utriusq; distātiæ ostendet quæsitam annorum multitudinem.

*Exemplum.*

Vt quod diximus, fiat euidētius, sit exēpli causa locus prędecēs principium Arietis, sequēs principiū Geminorū, rēgio in qua dies maximus est horarum quatuordecim, Horaria ergo magnitudo princi-

do principij geminorũ est septẽdecim graduũ, octo scrupulorũ. oriat aũt primò initiũ Arietis, ut cœli culmẽ principiũ Capricorni obsideat. Et distet à cœli culmine principiũ geminorũ, tẽporibus æqualib. centũ quadraginta septẽ, scrupulis quadraginta octo. Quoniã igitur Arietis principiũ à cœli supremo fastigio sex horis inęqualib. disidet, id circo has si ducamus in septẽdecim tẽpora Aequinoctialis & octo scrupula, (tot enim uni horæ inęquali cõgruũt, ęstimata diei quãtitate ab initio geminorum, & sumitur distãtia principij geminorum à cœli culmine) conficiemus & huius distãtiæ centũ & duo tempora, scrupula quadraginta octo. Excessus quo illa superant, hæc tẽporum est quadraginta quinque: quibus exactis, sequens locus deuoluetur ad præcedẽtem. Tot uerò sunt etiam tempora ascensionum Arietis & Tauri, posteaquã locus prorogator collocat in horoscopo. Similiter cõsistat in cœli culmine principiũ Arietis, ut secũdũ primũ situ à meridiano supra terrã absit initiũ

gemino-

geminorum quinquaginta octo temporib. Aequinoctialis. Quoniam igitur, ut secundò posuimus, locus prorogator cœli fastigium obtinet, habemus prioris distãtiæ eum ipsum excessum quinquaginta octo temporũ: quibus cum, eo quod in cœli medio sit locus prorogator, meridianum præterue huntur Aries & Taurus.

Rursus transferatur principium Arietis in occasum, ut in medium cœli redigatur initium Cancri. Dissideat uerò à cœli culmine initium geminorum, in præcedentia temporibus Aequinoctialis triginta duobus, scrupulis duodecim. Quoniam igitur rursus interuallum principij Arietis in cardine occiduo cõsistentis, & culminis cœli, est horarum sex inæqualium, si decies septies has auxerimus, comparabimus tempora Aequinoctialis centum duo, scrupula quadraginta octo: quib. aberit à meridiano principiũ Geminorum, quando occiderit. Sed situ primo ab eodem in eandem partem abfuit temporibus triginta duobus, scrupulis duodecim.

In

In temporibus igitur septuaginta, scrupulis triginta sex supra terram in occasum feretur. quibus temporibus decumbunt sub occasum Aries & Taurus: & è regione efferuntur opposita signa Libræ & Scorpij.

Nunc remoueatur à cardinib. principium Arietis, statuaturq; in medio aliquo spacio. Exempli gratia, distet in præcedentia à Meridiano horis inæqualibus tribus, ut cœli culmen occupet Tauri pars decimaoctaua. Distet uerò primo situ initiũ Geminorum à cœli fastigio, in consequentia temporibus Aequinoctialis tredecim. Si igitur rursus horas tres amplificauerimus septemdecim temporibus, octo scrupulis, distabit secundo positu principium Geminorum à meridiano in præcedentia temporibus quinquaginta & uno, scrupulis uiginti quatuor: quibus tredecim iuncta, conficiunt sexaginta quatuor tempora, uiginti quatuor scrupula. Absoluerat autem, cum oriretur locus prorogator, quadraginta quinq; tẽpora: cum cœli culmẽ adiret, quinqua

gintaocto, in occasu septuaginta. Ergo ratione loci, quem inter cœli medium & occasum ei assignauimus, discrepat numerus temporum ab utriusque cardinis temporibus. Est enim sexagintaquatuor temporum. Differt uerò secundum rationem excessus trium horarum: & siquidem in integris quadrãtibus secundum cardines acceptis, duodecim est temporum differentia, in distantia trium horarum, erit temporum rum sex.

Quia uerò eadem ferè ratio in omnibus seruatur, alia ad eundem modum simpliciore uia uti possumus. Etenim rursus cum oritur pars præcedens, ascẽsionibus utemur usq; ad partem sequẽtem: cum in occasu est, descensionibus: cum in cœli culmine eminet, sphæræ rectæ ascensiones assumemus. Quando uerò in medijs horum interstitijs hæserit, qualis est in exemplo priori situs Arietis, primùm capiemus tempora utriq; angulo, intra quos consistit prorogator, congruentia, ac si in ipsis uersaretur cardinibus. Inueniemus

autem

autem, si post culmen cœli supra terrã posuerimus initiũ Arietis, intra medium cœli & occidentem, congruentia ad hunc situm tempora sexagintaquatuor. At conuenientia ad situm prorogatoris in cœli culmine tempora quinquagintaocto, ad positum eiusdem in occasu septuaginta reperiemus. Deinde inquiremus, quot horis inæqualib. ab alterutro cardine præcedens pars distet. Quãta enim horę illæ fuerint pars integri quadrantis, qui sex horis constat: tantam partem detractam à differentia, qua cardinis utriusq; tempora inter se discrepant, uel adijciemus, uel auferemus à cardine, ad quẽ locus prę cedens refertur. Vt in exemplo priore, quoniam cardinum propositorum differentia est temporum duodecim, & locus præcedens tribus horis inæqualibus ab utroque cardine dissidet, quæ sunt dimidia pars de sex horis: detracto igitur dimidio etiam de cardinum differẽtia, nimirum ex duodecim, eoq; uel accommodato ad quinquaginta octo, uel subducto ex septuaginta, ex-

cessum sexagintaquatuor temporum colligemus. Si uerò duab. inęqualib. horis ab alterutro cardinum abesset, cum duę horę sint triens horarum sex, triente ex duodecim (quanta est differentia angulorum) deducto: eoq; uel adiecto quinquagintaocto temporibus, si distantia à medio cœlo æstimet: uel adempto ex septuaginta temporibus, si ab occasu interuallum consideretur: congruentem illi situi numerum conficiemus. Hoc modo interiectorũ temporum magnitudo conuenienter perueſtiganda est.

Discernemus uerò deinceps ab unaquaq; prædictarũ obuiationũ aut demersionũ interfectrices aut climactericas alias ue transitiones ordine, sumpto initio ab ijs quæ breuissimo tẽpore finiuntur: propterea quòd his obuiationes uel afflíguntur, uel iuuantur, ad eum quem diximus modum: tum propter exitũ temporũ qualibet obuiatiõe significatorũ. Afflictis enim locis, & in annorum exitu stellis inficientibus prę cipua loca, mortem certam: Si uerò alteru-

terutrum harum opituletur naturę humanæ laboranti, magnos assultus, & periculosos: Si utrumq; iuuet, languores tantum, aut nocumenta, uel euacuationes quæ desinunt, expectare oportet. Sed qualia hęc futura sint, ex locorum occurrentium habitudine atq; cõuenientia ad geniturę positus, colligendum. Nihil uerò prohibet, quin interdum dissidentibus ijs, penes quos est facultas interimendi, euentuum uehementiam aut imbecillitatem coniectari possimus, aut singulis obuiationibus obseruatis & æstimatis, aut ijs maximè quæ uel ad euentus eaq; quæ sequuntura sunt, plurimũ pro uiriũ magnitudine cõferũt, uel in cæteris obuiationibus omnibus uim præcipuã habent.

## De forma & temperamento corporis. 17

Absoluta de uitæ spacio tractatione, nunc particularem reliquorum explicationem ordine conuenienti ordiemur à figura & conformatione corporis: propterea quòd natura prius fingi-

tur & formatur corpore, quàm anima & corpus, quia densius est, congenitas à prima origine statim suæ mixturæ notas habet. Anima non nisi pòst aliquãto, & obscurè, impressas sibi à prima causa uires profert. Quę uerò extra nos sunt, progressu tẽporis demũ accidũt.

Contemplari autem oportet cardinẽ orientis, & succedentes, aut Planetas qui horoscopo prędsident, eo quo diximus modo, aliqua ex parte & Lunã. Etenim ex ui formatrice, & ad alterutram speciem seu pulchram seu deformẽ efficiẽdã proprietate, cùm horũ duorum locorum, tum dominantium utriusq; planetarũ, insuper ex figuris stellarum inerrantium, quæ his cooriũtur, qualis sit forma corporum eruitur: hoc obseruato, ut uis prędcipua tribuatur planetis dominantibus: secundo loco adiungatur illis tanquam causa adiuuãs, locorum proprietas.

Primùm ergo, si quis singula simplici ratione prosequi uelit, his utatur.

Inter planetas, Saturnus cum orientalis est, colore flauos efficit, pleniore cor-

corpore, capillitio nigro & crispo, oculis magnis, statura mediocri, temperamento humidiore & frigidiore: occidentalis, nigros colore, raris corporibus, paruos, simplici & plano capillitio, reliquo corpore glabros et depiles, mediocri membrorum proportione, oculis nigricantibus, temperamento frigidiore & sicciore.

Iupiter prædictis locis præsidens, cum orientalis est, candido colore corpora tingit, sed eleganti & florido, capillitio ornat mediocri, oculos efficit nigricantes, & uenusta magnitudine grandiusculos, grauitatem cum quadã coniunctam dignitate moribus inducit: reales calido humidoq; temperat. Occidentalis, candido quidem, sed nõ elegãti colore inficit, capillitio rigido, aut caluitie uel anteriorem partem, uel tantum sinciput deformat: mediocrem staturam, & temperamenta humido redundantia procreat.

Mars cũ dominat̃, & orientalis est, ualidos gignit, rubedine albicante, decente corporis proceritate, oculis cœ-

ruleis, hirsutos, mediocri capillitio, crasi calidiore & sicciore: occidentalis rubicūdos, statura mediocres, pusillis capitibus, nudo corpore & pilis carente, flauo capillitio, & rigido, crasi sicciore.

Venus similia ijs efficit, quę Iupiter: nisi quòd pulchriora, gratiora, uenusti ora, ad muliebrem elegantiam propius accedentia, succulētiora, & teneriora, ac delicatoria omnia pręstat: peculiariter autem oculos colore fuluo, cum quadam uenustate imbuit.

Mercurius cum orientalis est, efficit colore flauos, magnitudine moderata, proportione membrorum conuenienti, oculis paruis, capillitio mediocri, crasi calidiore: occidentalis, flauos, raris corporibus, gracilibus membris, oculis concauis & claris, subrubentib. crasi sicciore. His configurata lumina plurimum addunt.

Sol & exornat omnia magnificentius, & corporum habitum firmat.

Luna uniuersaliter moderatiora omnia, firmiora, & crasin humidiorem efficit: particulatim uerò, uariat effectus

ratione

ratione incrementi & decrementi luminis, ut initiò ostendimus.

Rursus uniuersaliter cum manè Solem antecedunt & conspiciuntur, grãdia: cum primùm insistunt, robusta & ualida: cum in præcedentia feruntur, non apta proportione conformata: cũ secundò insistunt, imbecilliora: cum occidunt, dignitate carentia, & uitiorum fœcunda corpora pariunt.

Porrò loca quoq; formationem corporum, & constitutionem temperamẽtorum adiuuant. Vniuersaliter enim quadrãs ab Aequinoctio uerno usq; ad solstitiũ, bene coloratos efficit, elegãti proportiõe, magnos, firmos, oculis pulchris, temperamẽto humido & calido. Alter quadrãs à solstitio ad autumnale Aequinoctium, colore mediocres, magnitudine iusta & apta, firmos, oculis nigricãtibus, hirsutos, capillitio crispo, temperamento sicciore & calidiore. Tertius quadrãs ab autumnali Aequinoctio ad brumam, flaueſcentes, graciles, raros, capillitio mediocri, uenustis oculis, exuberantes frigido & sic-

co. Quartus à bruma ad Aequinoctiũ uernũ, flaueſcentes, iuſta magnitudine & decẽti, capillitio rigido, nudo corpore, & depili, affluentes humore frigido producit.

Particulatim uerò figuris deſcribuntur humanis, ſiue in Zodiaco cõſiſtãt, ſiue extra Zodiacum uerſentur, elegãti & iuſta proportione corpora aptant & cõponunt. At ſigna alienarum figurarum uitiant & deformant ea, pro ſua qualibet natiua ui & proprietate. Et aliqua ex parte ea membra, quibus præſident, ſibi conformant, uel magnitudine, uel paruitate, uel robore, uel imbecillitate, uel elegãtia: magnitudine quidem, ut exempli gratia, Leo, Virgo, & Sagittarius: paruitate, Piſces, Cãcer & Capricornus. Sic anteriores & ſuperiores partes Arietis, Capricorni & Leonis, firmiora: inferiores & poſteriores eorũdem ſignorũ, imbecilliora. Cõtrà Sagittarij, Scorpij, & Geminorũ anteriores partes imbecilliora, poſteriores ualidiora efficiunt corpora. Eodẽ modo Virgo, Libra, Sagittarius, modera

ta

ta compage, & uenusta compositione fingũt & cõformãt corpora: Scorpius contrà, Pisces & Capricornus, eadem deformant immoderata, & non cõgruente sibi structura. Sic de cæteris: quæ quidem omnia eum, qui propriam & exactam figuræ corporis ac temperamenti rationem exquirit, contẽplari ac commiscere oportet.

## *De læsionibus & morbis corporum.*

Cum sequatur doctrina de corporis læsionibus & morbis, adiungemus institutam de ea re considerationem. Vniuersalis uerò regula hęc est. Duo cardines Horizontis inspiciantur, uidelicet is qui est in ortu, & alter qui est in occasu.

Præcipuè uerò consideretur is qui est in occasu, & locus antecedens, qui prorsus non est copulatus ascendenti. Et obseruetur, quomodo malefici planetæ ea loca adspiciant. Si enim gradibus, qui ascẽdũt in dictis locis, iuncti sunt corpore, aut adspiciũt eos quadra

to

to adſpectu,uel ex oppoſito:ſeu alter planeta maleficus, ſeu uterq;:læſiones & morbi natis accidẽt:maximè ſi alterũ luminare,uel ambo ſint in cardinib. iuncta maleficis, aut ſint eis oppoſita.

Tunc enim,ſiue poſt lumen aſcẽdit planeta maleficus,ſiue præcedit in cardine,adferre poteſt talem morbũ,qualem Horizon,ſigna,naturæ maleficorum planetarum, & adſpicientium eos minantur.

Nam gradus cuiuslibet ſigni infortunatus in Horizonte, minabitur mẽbro corporis,cui præeſt: & quali læſione aut morbo,aut an utroq; adfici mẽbrum illud poſsit, indicabit. Cauſas uerò,& ſpecies læſionum ſeu morborum,planetæ indicabunt.

Saturnus enim precipuè preeſt auri dextræ,ueſicæ,ſpleni, pituitę & oſsib.

Iupiter tactui,pulmoni, arteriis, & ſemini.

Mars auri ſiniſtræ, renibus, uenis, membris uirilibus.

Sol oculis,cerebro, cordi,neruis,& dextrę parti uniuerſæ.

Veñus

Venus olfactui, epati, carni.

Mercurius orationi, menti, linguæ, bili, & sedi.

Luna gustui, gulę, stomacho, uẽtriculo, matrici, & sinistræ parti uniuersæ.

Læsiones autem generaliter plerunque accidunt, cum maleficæ stellę, quę causam præbent, sunt orientales. Morbi uerò accidunt econtrà, cũ causę sunt occidentales.

Differunt enim hæc inter se. Læsio semel corrumpit membrum aliquod, nec adfert postea cruciatus intẽsionẽ: morbus uerò, aut assidue, aut per interualla, correptos excruciat.

Sed ad particularem coniecturam quædam requirunt obseruationem singularem, quorum membrorum & qualis læsio futura sit, aut qualis morbus. sequuntur enim accidentia plerunq; similes positus stellarum.

Cæcitas alterius oculi fit, cum Luna edito partu est in altero cardinum, aut in cõiunctione, aut in oppositione: seu quando est in alterutro loco, ubi Solẽ adspectu aliquo adspicit, & quando copulata

pulata est alicui nebulosarũ stellarũ in Zodiaco, ut Cancri, aut Pleiadum, aut cuspidis Sagittarij, aut aculei Scorpij, aut cómæ Berenices, supra Leonem, aut urnę Aquarij. Et quando Mars aut Saturnus, Luna existente in cardine ac infortunata succedunt, aut quando ante Solẽ ipsi in cardine ascendunt: quando uerò utriq; lumini, uel in eodem signo, uel oppositis, sunt familiares matutini Soli, uespertini Lunæ, utriq; oculo pernicíem adferunt. Mars ab ictu, aut pulsatione, aut à ferro, aut ab ustione. cũ Mercurio iunctus nocet in palæstris, aut gymnasijs, aut insidijs latronũ. Saturnus uerò per suffusiões, aut frigus, aut albuginẽ, aut similia.

Rursus quando Venus est in cardinibus dictis, maximè in occidente, iuncta Saturno, aut eum adspiciẽs, aut domicilia mutarunt: Mars uerò super eã eleuatur, aut oppositus est: uiri erũt steriles, mulieres uerò edent abortus, & fœtus immaturos, aut secando fœtus ex utero periclitabuntur, maximè in Cancro, Virgine, & Capricorno. Et

iuncta

iuncta nebulosis Luna, oculos lædet, & cum Luna in ortu Marti iuncta est.

Sin autem adspiciet Mercuriũ eodẽ loco cum Saturno, & Mars erit eleuatus super eam, aut oppositus, spadones erũt, aut hermaphroditi, aut obstructis meatibus genitalium.

His sic se habentibus, cum Solem etiam cæteri planetæ adspiciunt, & luminaria ac Venus sunt in signis masculis, Luna uerò est in occasu, & malefici planetæ sunt in gradibus succedentib. uirilia præcidentur uiris, & erunt in eis insignes læsiones, maximè si in Ariete aut Aquario Venus sita est. Mulieres uerò erunt steriles, interdum & in facie lædentur. Et erunt balbi aut muti, qui Saturnũ & Mercurium in cardinibus cum Sole coniunctos habent: præcipuè si Mercurius sit occidentalis, & ambo Lunam adspiciant. Mars uerò adiunctus, plerunq; linguæ impedimentum soluit.

Quòd si Luna occurrit Marti, & luminaria succedũt maleficis tenẽtib. cardines: aut malefici sunt oppositi luminaribus,

bus, maximè si Luna sit in nodis aut flexibus, & in signis noxijs, ut Ariete, Tauro, Cancro, Scorpio, Capricorno, fiunt gibbi, aut mutilationes, aut claudicationes, aut paralyses. Ac si cum luminibus sint malefici planetę, statim à natiuitate has læsiones adferunt.

Sin autem sint malefici in medio cœli, supra luminaria, & lõgitudine inter se distent, accident læsiones à magnis periculis, lapsuum ex alto, aut latrocinijs, aut ferarum morsibus.

Nam cum Mars dominatur, accident læsiones per ignem, aut fient uulnera in rixis, aut inter latrones. Cum Saturnus dominatur, fient lapsus, naufragia, spasmi.

Plerunq; uerò fiunt læsiones, cũ Luna est in signis Tropicis, aut Aequinoctialibus. In uere uitiligo, in æstate impetigines, in autumno lepra, in hyeme lenticulæ.

Hæc accidunt, cum in dicto positu malefici adspiciũt contrario adspectu, uespertini Solem, matutini Lunam.

Et uniuersaliter Saturnus uentres frigidos,

frigidos facit, & auget pituitam ac fluxus, & efficit macilẽtos, & imbecilles, obnoxios dysenteriis, tussi, difficulter expuentes, doloribus crassioris intestini conflictantes, elephãtiasi laborãtes. In mulieribus uerò, matricis pericula.

Mars efficit cruentum sputum, inflãmationes pulmonis, scabiem, sectiones, ustiones, uexationes continuas abditorum membrorum, propter fistulas, hæmorrhoidas, inflammationes, ulcera urentia, depascentia carnem. In mulieribus uerò abortus, euulsiões fœtus, aut arrosiones. Hæc ita magis fiunt, cum planetarum positus, qui illa mala excitant, conuenit ad illas corporis partes. Et auget mala Mercurius, Saturno iũctus, ad frigiditatem inclinãs, & faciens assiduam agitationem & cõturbationem humorum, præcipuè circa thoracem, stomachum & fauces. Marti uerò iunctus, siccitatem auget: ut in exulcerationibus, depilatiõe, crustulis, apostematibus, erisypela, impetigine sæua, atra bile, comitiali, aut similibus.

Et fiunt qualitates morborum aut læsionum uariæ, iuxta signorum rationē, quæ sunt in duob. cardinibus. Proprie enim Cancer & Capricornus, Pisces, & cætera quæ figuras referunt animantium terrestrium, aut piscium, faciunt morbos quibus depascitur caro, & impetigines, scrophulas, fistulas, elephantiasim, & similia.

Sagittarius & Gemini adferunt lapsus & comitialē: cumq; in postremis signorum partibus erunt maleficæ, efficiunt læsiones aut morbos in extremis partibus membrorum, ex læsione aut fluxu, qui elephātiasim, aut podagras, aut chiragram gignit.

Hæc cum ita sint, si beneficæ non fausto aspectu mitigant maleficas, morbi causas: aut si non aspiciunt lumina in cardinibus, malum est atrox, & insanabile.

Idem fiet, si quamuis adspiciant maleficas, superantur tamen, quia maleficæ sunt in locis potentioribus.

Sed cum beneficæ in locis conueni-

entibus

entibus sunt, & superant maleficas, mali causas, tunc lęsiões minus deformes, & non fœdæ erunt: & morbi erunt mediocres, & non atroces: interdum & facile sanabiles, cum beneficæ sunt orientales.

Iupiter enim significat hominũ auxilia, & solet læsiones opulentia aut dignitate minuere, & morbos lenire. Cũ Mercurio autem, pharmaca & medicorum opem significat: cum Venere, occasiones diuinitùs oblatas, aut oracula, ut lęsiones minus deformes, & minus odiosæ sint. Morborum uerò curationes efficit diuina ope.

Et si cum Venere erit Saturnus, infamiam & diuulgationem significat. Si uerò iuncta erit Mercurio, significat auxilium cum lucro, quod accedet propter læsionem aut morbum.

## *De qualitatibus animæ.* 9

De corporum accidentibus hæc sit doctrina compendiò tradita. Sed qualitates animæ, quæ propriæ sunt men-

tis & ratiocinationis, sumuntur in singulis ex Mercurij conditione. Quæ uerò propriæ sunt moralis partis, & uirtutum inferiorum, sumuntur à luminib. crassiorum corporum: hoc est, à Luna, & à stellis ad eam amplificationem, coniunctione, aut adspectu configuratis.

Cumq; magna uarietas sit inclinationum & motuum animæ, hæc consideratio non unius est modi, nec temerè facienda sine discrimine: sed multis & uarijs coniecturis opus est.

Multum enim ad animæ proprietates signa conferunt, in quibus Mercurius & Luna uersantur multum, & stellarum adspectus ad Solem & ad cardines, & natura cuiuslibet planetæ congruens certis inclinationibus animæ.

Plerunq; autem signa Tropica faciunt ingenia magis popularia, cupida turbulentorum & ciuilium negociorum, gloriæ cupidos, cultores numinis cœlestis, ingeniosos, mobiles, diligentes in inquisitione & examinatione rerum, solertes in inuentione & coniecturis, & excogitandis excusationib. fatidicos.

Signa

Signa uerò bicorporea, faciunt uarios, inconstantes, non sinentes se facilè deprehẽdi, leues, instabiles, duplices, amatorios, uersipelles, studiosos musices, ignauos, subitò paratos, citò mutantes institutum.

Fixa uerò, iustos, non amantes assentationum, stabiles, firmos, intelligentes, tolerantes, laboris cupidos, duros, continentes, tenaces simultatum, pertinaciter instantes, contentiosos, honorum cupidos, seditiosos, auaros, asperos, inflexibiles.

Positus uerò orientales & horoscopus, faciei contuitus significant, liberales, simplices, sibi placentes, fortes, ingeniosos, ueloces, & apertos.

Matutinæ stationes, & in medio cœlo, consultos, perseuerantes, magnanimos, fideli memoria præditos, perfectores eorum quæ suscipiunt, immotos, robustos, non sinentes se facilè decipi, firmos, prudentes, sæuos, circumspectos, agentes aliquid, punientes, scientijs deditos.

Anteceſsiones uerò & occasus, si-

gnificant inſtabiles, mobiles, imbecilles, impatientes laborũ, facile concipientes ſubitos affectus, humiles, meticulosos, ambiguos, minaces & timidos, hebetes, fatuos, difficiles.

Veſpertinæ uerò ſtationes, & poſitus mediĳ infra terram, & Mercurĳ ac Veneris occaſus, interdiu ueſpertini, nocte uerò matutini, ſignificant ingenioſos, prudentes, non ſatis memores, non laborum patientes, ſed tamen ſcrutantes arcana: ut magica ſacra, cauſas eorum quę fiũt in ſublimi aere, mechanica, motus & effectus ſiderum: præſtigiatores, philoſophos, augures, ſomniorum interpretes, & ſimiles.

Cum autem ſunt in propriĳs aut familiaribus locis & dignitatibus planetę gubernantes animi inclinationes, ut ſuprà diſtribuimus, qualitates faciunt excitatas, non impeditas, ſpontaneas, & efficaces: ac præcipuè cum iĳdē duos modos obtinent, & Mercurium fœliciter adſpiciunt, & Luna rectè adplicata eſt. Cum uerò non ſunt in familiaribus locis, qualitates fiunt obſcuræ,

ſcuræ, imbecilles, languidæ, nihil proficientes.

Magna autem uis eſt planetarum, potentiorum & elcuatorũ ſuper Mercurium & Lunam. Quando enim cum maleficis eſt familiaritas, fiunt naturæ iniuſtæ & prauæ. Cumq; Mercurius aut Luna ſunt potentiores, induntimpetus faciliores, non impeditos, non periculoſos, & ad benefaciendũ incitatos.

Sed cum uincuntur à contraria conditiõe, ſunt præcipites, habẽt irritos impetus, & facile incurrũt in offenſiones.

Cum uerò familiaritas eſt cum bonis, bonos & iuſtos mores ſignificant; cumq; non ſunt alij ſuper eos eleuati, benefacere cæteris & ipſi gaudent, & laudantur propter benefacta: nec adficiuntur iniurijs, ſed fruuntur iuſticia, quæ & ipſis prodeſt. Sed ſi potentiores ſunt contrarij, minus habent tranquillitatis, ſuntq; propter manſuetudinem & bonitatem, & ueritatem deſpecti, criminationi et iniurijs expoſiti.

Hæc ſit generalis cõſideratio. Qua

litates uerò particulares, à singulis planetis ortas, pro cuiusq; dominio, deinceps compendiò recitabo, & mixturas eorum in genere describam.

## SATURNUS.

Saturnus cum solus nactus est dominium, & plus ualet quàm Mercurius & Luna, ac præclarè se habet, quod ad mundi positum attinet, & ad cardines, facit corporis sui curam gerentes, graues, profunda cogitantes, tetricos, solitarios, laborioſos, imperioſos, punientes indigna, cumulatores opum, parcos, cupidos pecuniæ, uiolentos, colligentes thesauros, inuidos.

Sed infeliciter positus, facit squalidos, humilia cogitantes, negligentes, solitarios, liuidos, timidos, fugitantes lucem, obtrectatores, amantes solitudinũ, lugubriũ sermonũ querulos, impudẽtes, superstitioſos, laborioſos, mites, insidiãtes suis, tristes, incultos.

### *Saturnus cum Ioue.*

Saturni autem & Iouis familiaritas in lo-

in locis bonis, facit bonos, senes singulari reuerentia colentes, placidos, honestè sentientes, opitulatores, sine maleuolētia, cautos, parcos, magnanimos, officiosos, cordatos, amantes suorum, mites, intelligentes, tolerantes, sapientia quadam moderantes officia. In contrarijs locis, ineptos, furiosos, metuētes turbam, superstitiosos, sacrificulos, occulta prodentes, suspicaces, negligentes liberorum & amicorum, latebrarum amantes, hebetes, diffidētes, inepte splendidos, uirulentos, simulatores, frustra conantes, ambitiosos, mutabiles, stolidos & seruiles.

*Saturnus cum Marte.* 22

Familiaritas uerò cum Marte in locis minus uituperandis, facit negligentes, laboriosos, libere loquentes, turbulentos, audaciam præ se ferentes: & tamen timidos, tetricos, immisericordes, despicientes alios, asperos, bellicosos, periculorum contemptores, tumultuosos, dolosos, insidiatores, tenaces simultatum: nemini supplices, seditiosos, ty-

rannicos, auaros, infestos ciuib. rixatores, memores offensionũ, ex abdito mala struentes, inuasores, impatientes, toruos, molestos, glorioſos, maleficos, iniustos, nõ cedentes aliorum iudicijs, immanes, inflexibiles, pertinaces, nõ se ingerentes, cautè etiam se recipientes, industrios: non cedentes, non habentes irritos impetus. In distortis locis, raptores, prædones, adulteratores, erumnoſos, turpia lucra sectantes, nefarios, inhumanos, contumelioſos, insidiatores, fures, periuros, homicidia molientes, inconcessa uorantes, maleficos, homicidas, ueneficos, impios, sacrilegos, sepulchrorum effossores, & omnino sceleratos.

*Saturnus cum Venere.* 23

Familiaritas cum Venere in locis minus uituperandis, facit osores mulierum, cupidos dominationis, amantes solitudinum, insuaues in cõgressibus, ambitioſos, apparatus aspernantes, negligentes elegantiæ, inuidos, tetricos, insuaues ad Venerem, non aggregantes

tes se communibus opinionibus, peculiares sibi opiniones excogitantes, fatidicos, superstitiosos, sacrificijs deditos, sacrificulos, fanaticos, sacris seruiētes, castos, uerecundos, reuerentes alios, studiosos, fidos in amicitia, stabiles, cōtinētes, sagaces, cautos, querulos, malè suspicantes de mulierib. & zelotypos.

In locis uerò distortis, salaces, impudicos, contaminantes se flagitiosis libidinibus, negligentes, immundos in concubitu, libidinosos, insidiantes mulieribus, & maximè cognatis: petulantes, infames, furenter ruentes in uenerem, osores mundiciei, subsannatores, obtrectatores, ebriosos, superstitiosos, adulteros, incitātes & incitati ad incestos concubitus, non solum naturales, sed etiam contra naturam: appetentes, seniles, flagitiosos & inconcessos ferinos concubitus: impios, Dei contemptores, sacrorū derisores, infidos, calūniosos, ueneficos, impostores.

*Saturnus cum Mercurio.* 22

Familiaritas cū Mercurio in locis laudatis, facit curiosos scrutatores, dissē-

rentes

rentes de legibus, & de natura, arcano rum conscios, miracula facientes, decep tores, in diem uiuentes, sagaces, indu strios, solertes, acerbos, diligentes, so brios, sedulos, laborum cupidos, felici ter conantes. In locis uerò distortis, hallucinãtes, nugatores, tenaces simul tatum, immisericordes, erumnosos, in festos suis, inuidos, tristes, noctu uagã tes, insidiatores, proditores, crudeles, fures, magos, ueneficos, falsarios, præ stigiatores, non habẽtes prosperos suc cessus, sed frustra conantes.

## IUPITER.

Iupiter solus dominus in locis lau datis, facit magnanimos, beneficos, re ligiosos, honorem alijs tribuentes, fru entes bonis, humanos, splẽdidos, libe rales, iustos, magna curantes, graues, sua agentes, misericordes, fœcundos, prudentes, amantes cognatorum, gu bernatores.

In locis uerò distortis ac sordidioribus, similem speciem efficit: sed sordidius & obscurius & dilutius, ut pro magnitudine

gnitudine animi fastum, pro religione superstitionem, pro uerecundia timiditatem, pro grauitate tumorem, pro candore stoliditatem, pro nitore uoluptates: pro cura magnarum rerum, stuporem: pro liberalitate, negligentiã, sic & cætera degenerant.

## *Iupiter cum Marte.* 26

Familiaritas uerò cum Marte in locis laudatis, facit asperos, pugnaces, militares, idoneos gubernationi, concitatos, impatientes seruitutis, feruidos, periculis se obijcientes, industrios, linguę libertate utentes, redarguentes alios, effectores eorum quæ suscipiunt, contẽtiosos, gnauos in imperijs, acres, insidiatores, æquitatis amantes, uiriles, ægrè credentes, magnanimos, honorũ cupidos, iracundos, dextrè iudicantes, & non aberrantes.

Sed in locis distortis, contumeliosos, sui negligentes, crudeles, implacabiles, seditiosos, rixatores, non aggregantes se communibus moribus, calũniatores, suspicaces, prerogatiuas quę-

rentes,

rētes, rapaces, inſtabiles, leues, citò mutantes propoſita, præcipites, inconſtātes, incircumſpectos, ingratos, turbulētos, attonitos, non fruſtra conantes, percuſſores, querulos, profuſionum amantes, fatuos, inæquabiliter & ſine regula uiuentes, & furioſos.

*Iupiter cum Venere.* 27

Familiaritas uerò cum Venere in locis laudatis, facit amantes mundiciem, ſuauiter fruentes bonis, nitidos: artiū, ſpectaculorum, ſtudiorū, muſices ſtudioſos: delicatos, ſimplices, beneficos, redarguentes alios, non aſtutos, religioſos, deditos cæremoniis & chorīs, prudentes, propenſos ad amorem & honeſtam Venerem, ſplendidos, gratos, liberales, ſtudioſos literarum, dextrè iudicantes, moderatos, modeſtè uenereos, contentioſos, pios, iuſtos, honorum & gloriæ cupidos: & in ſumma, honeſtos, & laudatos.

At in locis diſtortis, epularum amātes, delicatos, effœminatos, ſaltatores, muliebri

muliebri impotentia præditos, sumptuosos, muliebres, amatorios, salaces, pronos ad libidinem, mœchos, ornatum ostentantes, molles, ignauos, profusionum amantes, subsannatores, fatuos, uehementes, comptos, muliebria consilia instituentes, superstitiosos, lenones, obseruantes arcanarum cæremoniarum, fideles, & non nocentes cupidos, festiuos, faciles, hilares, & ad præmia cumulatius danda liberales.

*Iupiter cum Mercurio.*

Familiaritas Iouis cum Mercurio in locis laudatis, facit amantes literarum, facundos, deditos Geometriæ, disciplinis, poeticæ, eloquentiæ, ingeniosos, modestos, humanos, honesta cõsilia quærẽtes, politicos, beneficos, aliena negocia administrãtes, comes, liberales, amãtes cœtuũ, callidè obseruãtes alios, nõ habẽtes irritos impetus, idoneos gubernatiõi, pios, studiosos rerũ diuinarũ, pecuniã bonis artib. augẽtes, erga cognatos naturali beneuolẽtia præditos, amãtes suorum, idoneos disci-

plinæ,

plinæ, philosophos, dignitatem magni facientes.

At in locis contrarijs, stolidos, hallucinantes, aberrantes, despectos, attonitos, fanaticos, nugatores, liuidos, arrogantes sibi sapientiam, incircumspectos, iactabundos, artium exercitia tentantes, magos, trepidantes, consternatos, multa inquirentes, memores: doctrinis deditos, in uoluptatibus mũ diciem amantes.

## MARS. 2.9

Mars cum solus dominatur morib. in locis laudatis, facit generosos, gubernationi idoneos, iracundos, diuitias appetentes, uorantes, robustos, periculis se obijcientes, pericula spernentes, nõ patientes seruitutis, negligẽtes sui, peruicaces, uehementes, morosos, cõtemptores, tyrannicos, manu promptos, iracundos, gubernatores.

At in locis contrarijs, crudeles, iniustos, sanguinis auidos, turbulẽtos, sumptuosos, clamatores, percussores, præcipites, ebriosos, raptores, facinorosos, trucu-

truculentos, mota mente, furiosos, suis inimicos, impios.

*Mars cum Venere.* 20

Familiaritas cũ Venere in laudatis locis facit hilares, faciles, sodalitiorum amantes, delicijs fruentes, lætos, iocosos, incautos, musicos, saltatores, amatorios, amantes liberorum, histriones, fruentes uoluptatibus, facientes magnos apparatus, salaces: pronos quidẽ ad libidines, sed tamen prosperos, & sibi cauentes, circumspectos, non committentes ut deprehendantur ac notentur, adpetentes iuuenilia corpora adolescentũ & puellarum, sumptuosos, iracundos, zelotypos.

At in locis distortis, circumspectantes libidinose, molles, furenter ruentes in libidines, negligentes sui, maledicos, mœchos, contumelioſos, mendaces, fraudulentos, stupra suis & alienis offerentes, pronos & uehementes ad uoluptates, corruptores mulierum & uirginum: temere se in pericula conijcientes, flagrantes, indecoris gestibus

monſtroſis, inſidiatores, periuros, facile impingentes, ſtultos, amantes ornatus, feroces, turpia paciſcentes, & impudicos.

*Mars cum Mercurio.*

Familiaritas cum Mercurio in laudatis locis, facit callidos in excogitandis ſtratagematis, timidos, uiolentos, inconſtantes, præmetientes pericula, uerſutos, gnauos, ſophiſticos, laborioſos, impoſtores, loquaces, inuaſores, doloſos, mobiles, captioſos, malis artificijs circumuenientes alios, celeriter inueniẽtes conſilia, deceptores, ſimulatores, inſidiatores, malitioſos, curioſos, ſedulos, non habentes irritos impetus, facilè ſimilium beneuolentiã conciliantes & tuentes, inimicis nocẽtes, amicis benefacientes.

At in locis diſtortis, ſumptuoſos, auaros, crudeles, pericula temerè adeuntes, audaces, mutantes propoſitũ, perculſos, conſternatos, mendaces, fures, impios, periuros, inuaſores, ſeditioſos, incendiarios, in theatris ſeditiones mouentes,

uētes, cōtumelioſos, latrones, fures homicidas, falſarios, proditores, preſtigiatores, magos, ueneficos, homicidas.

## VENUS. 32

Venus cum ſola dominatur in locis laudatis, facit blandos, bonos, delicíarum amantes, idoneos ad conciliánda ſtudia hominum, facundos, mundicíei & choreis deditos, zelotypos, hilares, impatientes laborum, artium capaces, uenuſtos in geſtu, religioſos, bono habitu corporis, certa ſomniantes, naturali erga ſuos beneuolentia, beneficos, miſericordes, facilè reconciliabiles, nō habentes irritos impetus, denicq; uoluptatibus uenereis deditos.

In contrarijs uerò locis, ignauos, amatores, effœminatos, mulieroſos, timidos, negligentes diſcrimina actionum, pronos ad libidinem, infamiæ negligentes, obſcuros.

## *Venus cum Mercurio.* 33

At Mercurio familiaris in locis laudatis, facit artifices manuarios, ſtudioſos,

doctrinarum capaces, ingenioſos, poe
ticos, muſicos, elegãtiam amantes, pla
cidos, ſuauiter uictitantes, deliciarum
amantes, hilares, amicis fidos, pios, in-
telligentes, uafros, ſolertes, bene conie
ctantes, cum dexteritate omnia facien
tes, celeriter diſcentes, diſcẽdi cupidos,
ſine doctore multa diſcentes, ardentes
ſtudio optima imitandi, formoſos, co-
mes, ſuaues, moribus bene compoſitis,
ſtudioſos, ludorum cupidos, dextrè iu
dicteãs, magnanimos, cautos in uene-
reis, zelotypos.

In contrarijs locis, inuaſores, uafros,
deformes, inſtabiles, maleuolos, impo
ſtores, turbatores, mendaces, calumni
atores, periuros, clàm ſtruentes fraudẽ,
ueteratores, pactorum uiolatores, per-
fidos, non reconciliabiles, ſtupratores,
comptos, molles, infames, criminibus
publicis obnoxios, ubicꝙ ſe ingerẽtes,
interdũ corruptelis, interdum ſua qua-
dam natura incitatos: turpia agentes,
& uarijs uicijs dedecoratos.

## MERCVRIVS. 34

Mercurij ſtella ſola dominium ani-
mæ

mẽ nacta, in locis laudatis, facit intelligentes, sagaces, dociles, multa inquirẽtes, acutos ad inueniendum, multa experientes, ratiocinatores, rectè coniectantes, naturam rerum inquirẽtes, ingenioſos, imitatores, beneficos, cõputatores, ſpeculatiuos, mathematicos, myſterijs deditos, non habentes irritos impetus.

Econtrà uerò, in locis diſtortis, uerſutos, præcipites, obliuioſos, habentes celeres impetus, leues, mutabiles, propoſitum mutantes, fatuos, nocendi cupidos, ſtultos, hallucinantes, mẽdaces, negligentes diſcrimina rerum & perſonarum, inſtabiles, infidos, defraudatores, iniuſtos, deniq; periculoſa conſilia ſtruẽtes, & audacter ac temerè ſcelera ſuſcipientes.

## *LUNA.* 31

Magnum uerò momentum habet Lunæ poſitus: quæ ſi uagatur in latitudine meridiana, aut arctoa, cõducit animæ ad efficiendam uarietatem morum, & callidítatem cõſiliorum, & mu-

tabilitatem. At in nodis adiuuat acumen ac celeritatem inuentionis, industriam ac festinantiam. In ortu & crescẽte lumine, facit generosiores, magis apertos, firmiores, & liberiores. In coniunctione uerò & occultatione, facit languidiores, hebetiores, facilius desistentes à proposito, timidiores, obscuriores.

## SOL.

Sol autem si in locis faustis familiaris erit gubernanti mores animę, efficit iustiores, magis industrios, grauiores, religiosiores. At in locis infaustis, & non congruentibus cum dominatore, facit sordidiores, difficilioribus negocijs implicitos, minus obseruantes decori, peruicaces, duros, crudeles, intractabiles, denique minus flexibiles ad uirtutem.

## De morbis animæ.

Quia proprietates animæ sequitur aliquo modo narratio insignium morborum eius, conuenit uniuersaliter notare & obseruare Mercurium & Lunã, quomodo

quomodo se mutuò adspiciant, aut cardines, aut maleficas stellas.

Cum enim non sunt colligati Mercurius & Luna inter seſe, aut cum in orientali horizonte superantur, aut sunt circũseſsi, aut maleficæ oppoſitæ sunt, & adspectu pernicioso collocatæ, causæ sunt multorum morborum, qui accidunt animæ. Et temperamenti confusio sumitur à qualitatibus stellarum pro loci natura. Ac mediocris labes ex proprietatibus planetarum prius dictis sumi potest, incrementa uerò conspiciuntur ex maleficarum exuperantia. Conuenienter enim dici labes potest, exceſſus aut defectus in moribus, recedens à mediocritate.

Cæterùm maiores furores, qui tanquam perpetui morbi in natura hærẽt, & lædunt totam partem rationalem, & adpetentem, tali obseruatione in genere ita iudicare licet.

Epileptici enim plerunq; fiunt, quibus Luna & Mercurius non sunt colligati inter seſe, nec cum orientali horizonte. Ac interdiu Saturnum, noctu

Martem habent in cardine dominantem in hoc positu.

Furiosi uerò fiunt, cum econtrà Saturnus noctu, Mars interdiu dominatur: maximè in Cancro, Virgine & Piscibus.

Vexantur dæmonijs, & sunt nimis humido cerebro, quibus maleficæ adspiciunt Lunam, Saturnus discedentem à radijs Solis, Mars uerò oppositam Soli, maximè in Sagittario & Piscibus.

Cum autem solæ sunt maleficæ, eo modo ut dixi, ac dominantur, efficiunt insanabiles morbos, latentes tamen, & non prodigij similes, in parte animæ rationalis.

Si uerò beneficæ, Iupiter aut Venus, familiaritate aliqua illas adspicient, & maleficæ fuerint in occidente, & beneficę in oriente, sanabiles morbos faciũt, nec similes prodigijs.

Curabuntur autem medicando, cũ fauet Iupiter, aut subducendo, aut ope medicamenti. Sin autem Venus opitulatur, sanat oraculis, & diuina ope.

Cum

Cum autem maleficæ erunt in orie-te, beneficæ uerò in occidente, morbi sunt insanabiles, & passim celebrati & manifesti, & in comitiali erit assuiditas, & famæ latè uagantis celebritas, & letale periculum. In furore uerò & mē tis consternatione non poterunt coher cerí, & familiares alienabunt, nudabūt corpora, & dicent execrationes, & alia huiusmodi.

Cum autem à dæmonibus uexabū-tur, aut humorum cōturbationes erūt, fient afflatus, arcanarum rerum enun-ciationes, conuicia, & alia quæ pro pro digijs habentur.

In singulis uerò locorum continen tium figura multum adfert momenti. Nam Solis & Martis loca ad insaniam maximè conferunt, Iouis & Mercurij ad comitialem, Veneris ad afflatus & uaticinia: Saturnus & Luna ad hu-morum conturbationes, & dæmonum uexationes.

Ac in rationali anima & parte actri-ce, morbi accidunt ferè iuxta has spe-cies, quas recensui, & tali stellarū positu.

In parte uerò altera, uidelicet patiente, nempe in concupiscente, deprehenditur excessus & defectus in masculo & femineo genere.

Et sumi potest consideratio ut antea, uidelicet Solis & Lunæ pro Mercurio, & sumantur Martis ac Veneris adspectus. Hæc cum ita erunt oculis subiecta, si lumina erunt in signis masculis sola, uiri excellunt magis quàm pro sua natura, mulieres uerò præter naturam suam erunt uiriliores, & excitatiores ad agendum aliquid. Et si Mars ac Venus, seu alteruter, seu ambo erunt in masculis locis positi, uiri erunt proni ad concubitus secundum naturam: sed tamen ruent in adulteria, & erunt incontinentes, & quauis occasione exercebunt turpes & uagas libidines.

Mulieres uerò erunt pronæ ad libidines contra naturam, salaces, & oculis uagantibus. Nam talis positus stellarum incendit mulieres, ut uirorum actiones faciant.

Et si sola Venus fuerit in locis masculis,

seulis, clàm & non palàm ista flagitia fient. Sed si Mars etiam accesserit, palã & impudenter fient, adeò ut interdum illæ ipsæ alias mulieres familiares tanquam coniuges habeant.

Econtrà uerò si luminum positus sint tantum in femineis signis, mulieres nimis salaces erunt, & uiri contra naturã suam molles & effœminati.

Et cum Venus est in locis femineis, mulieres erunt pronæ ad libidinem, adulteræ & salaces, etiam contra naturam & leges. Viri autem molles, & impudenter libidinosi, & muliebria patiẽtes, idq; clàm faciunt.

Sed si Mars est etiã femineus, palàm impudenter polluent se omni genere libidinum, adeò ut infamiam, probra & contumelias, propter scelerum turpitudinem subeant.

Conducunt autem orientales & matutini positus Martis & Veneris ad audaciam & impudentiam: occidentales uerò & uespertini, naturam faciũt magis effœminatam, & quę facilius cõscitur. Cum uerò Saturnus accedit,

coniuncta

coniuncta erit impudicitia cum illuuie & infamia.

Iupiter facit modestiores, uerecundiores & cautiores: Mercurius famosiores, & crebras morum mutationes, & maiora damna.

# LIBER QVARTVS PTOLEMAEI.

## *De euentuum significationibus, uel causis.*

EXPOSVI ea quæ ante editionem partus spectantur, quæq; partu edito statim insunt, & quæ postea sequuntur: quæ tamen temperamenti propria sunt, & qualitatem mixti referunt. Nũc ea recitabo, quæ extra corpus sunt, & aliunde accedunt. In qua narratione primùm dicatur de facultatibus, & dignitatibus.

Vt autem facultates ad corporis proprietates congruunt, ita dignitas ad animæ præstantiam.

De

## *De facultatibus.*

Facultates quales futuræ sint, à parte fortunæ sumendum est, quæ sic colligitur: ut quanta est Solis & Lunæ distantia, tanta inde usq; ab horoscopo ejiciatur, siue diurna siue nocturna sit, natiuitas.

Considerentur ergo planetæ tenentes dominium signi occupantis eum loco, & quæ sit horum uis & familiaritas iuxta modos suprà dictos. Considerentur & alij fausti planetarum adspectus ad hos, & illi qui eleuantur super hos, ex eadē uel cōtraria qualitate.

Cum enim hi qui dominantur parti fortunę, sunt ualidiores, augent diuitias, & maximè cum à luminibus adiuuantur. Saturnus ex ædificijs, re nautica, aut agricultura: Iupiter per fidelitatem, præfecturas, & sacerdotia: Mars, ex militia, & gubernatiõe exercituum: Venus per amicos, aut mulierum donationes: Mercurius, per eloquentiam, & mercatus.

Cum autem peculiariter Saturnum domi-

dominantem parti fortunæ, Iupiter fau sto adspectu adspicit, hæreditates adquirit, maximè cum id accidit in superioribus cardinibus: aut Iupiter in signo bicorporeo occidit, aut Luna feliciter adplicata est. Tunc enim & adoptionibus adsciti, hæredes erunt alienorum bonorum.

Erunt autem facultates durabiles, si planetæ eiusdem conditionis adiuuent dominatores. Sin autem malefici superant loca principalia, aut ascendunt ad ea, facultatum euersiones efficient. Tempus uerò uniuersaliter accipi potest, pro accessu stellarum ad cardines & loca succedentia.

## De dignitate.

Dignitas à luminum positu sumenda est, & à stellis circumdantibus, si cõgruant cum eorum qualitate.

Nam cum ambo lumina sunt in signis masculis & in cardinibus, aut cum ambo, seu alterum præcipuæ qualitatis est in cardine, & quinq; planetas stipatores habet, Eoos ad Solem, ad Lu-

nam

nam uerò uespertinos, nascentur reges. Et cum stipatores planetæ sunt in cardinibus, aut fausto adspectu intuētur culmen cœli, magnam potentiam & imperia & opes nati adsequentur.

Sin autem cæteris ita positis, Sol erit in signo masculo, Luna uerò in femineo, & alterum lumen erit in cardine, potestatem habebunt uitæ & necis in alios.

Sin autem tali luminū positu in cardine, stipatores non sint in cardinibus, nec eos adspiciant, dignitates quidem habebunt, sed aliqua tantum parte gubernationis antecellentes, ut gestatores ornamentorum, aut procuratores, castrorum præsides, non duces.

Sin autem lumina non erunt in cardinibus, stipatorum uerò plures aut in cardinibus sunt, aut fausto adspectu eos intuentur, non habebunt illi quidē dignitates, sed beneuolentiam inter ciues, & mediocritatē in uitę incremētis.

Cum uerò nec stipatores sunt in cardinibus, erunt obscuri & impediti. ac prorsus abiecti & miseri erunt, si nec

cardines

cardines tenent lumina, nec alterũ est in signo masculo, neq; cingitur à beneficis. Vniuersalis igitur consideratio hoc modo indicat, tum eximiam præstantiam dignitatis, tum ualde humile uitæ genus.

Sed medij flatus, qui sunt multiplices, coniectura æstimandi sunt, ex speciali luminum & stipatorum uarietate, & à stipatorum dominio.

Nam cum benefici superant, & qualitates congruunt, plus autoritatis habent, & minus offensionum adferunt.

Econtrà uerò, contrarij & malefici positus aduersantur, & augent pericula: qualitas uerò dignitatis sumit à proprietate stipatorum.

Saturnus propter hæreditates & pecuniam, auget autoritatem.

Iupiter & Venus cum fauore, donis, honoribus, augẽt animi magnificentiã.

Mars dignitatem significat ducendis exercitibus, aut uictorijs, aut terrore subditorum.

Mercurius prudẽtia, doctrina, procuratiõe œconomica acquirit dignitatẽ.

De

## De magisterio.

Magisterij dominus sumitur ex duobus modis, à Sole, & signo medij cœli. Considerandа est enim stella, quæ proximè ante Solem manè oritur, & stella medij cœli, si Lunam adipexerit. Ac si uni planetæ utrunq; accidet, ut Solem præcedat & teneat culmen, hic erit actionum & artium magister. Sic quando alteri planetæ neutrum horum accidet, anteferendus est alter, cui alterum accidit.

Sin autem inter duos alter à Sole digressus prius oritur, & alter tenet culmẽ, & Lunam fausto adspectu intuetur, uterq; adsumendus est. Sed partes potiores tribuẽdę sunt isti, qui plures habet calculos ad dominij attributiõnẽ, iuxta prærogatiuas suprà expositas.

Sin autem nullus planeta præcedit, & nullus est in culmine, dominum accipe medij cœli, ad quærẽdas artes pro tempore nati. Sed hi plerunque sunt inefficaces.

Magisterij dominus igitur sic dijudicabi-

dicabitur. Sed artis genus ex proprietate trium ſtellarum, Martis, Veneris & Mercurij, & ex ſignis quæ peragrãt ſumetur.

Mercurius artis magiſter, ut in ſumma dicam, efficit ſcribas, grammaticos, computatores doctores, negociatores, menſarios, uates, aſtrologos, ſacrificulos, denicq; tales qui exerceant literarum interpretationẽ & contractus. Et ſi Saturnus fauſto adſpectu eum ad ſpicit, efficiet alienarũ opum procuratores, interpretes ſomniorũ, aut uerſantes in ſacris, propter uaticinia & adflatus.

Sin autem Iupiter eum adſpexerit, efficiet oratores, doctores, cum potẽtibus uiris familiaritatem habentes.

Sin autem Venus præerit magiſterio, facit artifices, qui odores, ungenta, uina, colores, tincturas, aromata, ornatus adparant: ut myropolas, coronarios, caupones, negociatores, pharmacopolas, textores, aromatarios, pictores, ueſtiarios. Et cum Saturnus Venerẽ adſpicit, facit negociatores rerum accõmodatarum ad uoluptates, ad ornatũ: ac in-

ac insuper præstigiatores, ueneficos, le nones, & ex similibus rebus quæstum facientes. Si Iupiter eam adspiciet, faciet athletas, coronarum gestatores, auctos honoribus, muliebri fauore euectos.

Si uerò Mars erit magisterij dominus, ac Sol eum adspiciet, artifices faciet, qui operas suas igne adhibito faciunt: ut coquos, fusores, cauteria exercentes, fabros ærarios.

Sed sine Sole, ut casus feret, ferrarios, aut nauium architectos, fabros, lapicidas, politores, lignorum sectores.

Si uerò Saturnus eum adspiciet, nautas, aquæductus facientes, cuniculos agentes, lictores, coquos, balneatores.

Sin autem Iupiter, milites, ministros, uectigalium præfectos, caupones, portitores, uictimarios.

Rursus si duo præsint magisterio, si dominentur Mercurius & Venus, erũt artifices Musici, aut organici, aut cantores, aut poetæ, aut rhythmici. Et cũ loca permutant, faciunt artifices scenicos, histriones, mangones, organorum

fabros, fidium factores, saltatores, textores, ærearum imaginum fictores, pictores. Et cũ à Saturno adiuuantur, exercent easdem artes quas dixi, & negociantur mundo muliebri. Et cum à Ioue adiuuãtur, efficiũt iudices, præsides rationũ, magistratus, negociosos, erudiẽtes pueritiam, tribunos populi.

Si Mercurius & Mars dominantur, faciunt statuarios, armorum artifices, sculptores, fusores, luctatores, medicos, chirurgos, accusatores, adulteros, insidiatores, falsarios. Et cum adiuuat eos Saturnus, facit homicidas, grassatores, raptores, latrones, abactores, præstigiatores. Si autem à Ioue adiuuantur, fiunt patientes laborum, audaces, acres, ingerentes se negocijs, aliena curantes, & inde lucrantes.

Sin autem Venus & Mars dominãtur, faciunt tinctores, ungentarios, stãnum, plumbum, argentum, aurũ fundentes, saltatores armatos, uenena miscentes & curantes. Sin autem à Saturno adiuuantur, erunt cultores bestiarum, uespillones, præficæ, lugubria canentes

nentes, fanatici, uersantes in locis ubi fiunt sacra, lamentationes, lacerationes corporum. Sin autem à Ioue adiuuantur, erũt sacrificuli, aruspices, sacrorum baiuli, mulieribus præfecti, nuptiarum conciliatores, & inde uictitantes, fruentes uoluptatibus, sine metu ullius periculi.

Signorum autem proprietas, in quibus sunt planetę magisterij datores, ad uarietatem artium conducit.

Signa quorum figuræ sunt humanę, conducunt ad scientias, & ad artes, ad usum humanum accommodatas.

Quadrupedum figuræ conducunt ad metallica, ad negociationes, ædificationes & fabricationes. Aequinoctialia & solstitialia, ad commutationes, interpretationes, geometriam, agricul turam & cæremonias. Terrestria uerò & aquatica, conducunt ad tractandas res nascentes in aquis: item ad herbas, & naues fabricandas, item ad sepul turas, ad condimenta, salsamenta, uel herbas condiendas.

Si uerò luna adspicit datores magi-

sterij, à coniunctione discedens, cum Mercurio, in Tauro, Capricorno & Cancro, efficiet uates, sacrificulos, & uaticinantes ex pelui. in Sagittario & Piscib. efficiunt uaticinantes ex mortuorum & dæmonum colloquio. in Virgine & Scorpio, magos, astrologos, occulta proferentes, & futura prædicentes. In Libra, Ariete & Leone, adflatos diuinitus, somniatores, adiuratores.

Ac de specie actionum hoc modo consideratis mixtionib. coniectura fiat.

Sed magnitudinem ostendet dignitas dominantium stellarum.

Cum sunt orientales, aut in cardinib. faciunt antecellentes alijs: sed cũ sunt occidentales, aut cadentes à cardinib. faciunt subiectos alijs.

Et cum beneficæ stellæ sunt eleuatę super dominantes, faciũt magnos, glorioſos, lucrantes, non offendentes, gratioſos. Econtrà cum maleficæ eleuatæ sunt super dominatores, faciunt submissos, ignobiles, nihil lucrantes, & periculis implicitos.

Si Saturnus aduersabitur, faciet frigora,

gora, & colorum mixturas. Si Mars aduersabitur, faciet temeritates & infamias. Cum autem ambo aduersantur, significant ingentes perturbationes.

Tempus autẽ incrementi uel decrementi harum effectionum, sumatur à positu ad cardinem orientalem & occidentalem.

*De coniugijs.*

Coniugiorum considerationem ordo offert. Est autem de legitima uiri & mulieris coniunctione hoc modo considerandum. In uirorum coniugijs Lunæ positum, & quomodo ipsa affecta sit, considerare oportet. Etenim in oriẽ talibus constituta quadrantibus, aut in prima adolescẽtia, uiros coniugijs implicat, aut post maturam ætatem ijsdẽ iuuenculas decernit. In occidentalib. contrà, uel tardius contracturos matrimonium, uel natu grãdiusculas ducturos denotat. Si præter hęc etiam Saturno fuerit configurata, coniugiũ negat, & uiros cœlibes reddit.

Deinde uidendum, quod ipsa signũ teneat. Si enim in unius figurę signo extiterit,

titerit, aut uni alicui planetarũ applicarit, unã tantũ uxorẽ designat. Si uerò bi corporeũ aut ex figuris pluríb. conflatũ signum possederit, uel etiam ex eodem signo pluribus iũcta fuerit, uxores plures pollicetur. Quòd si planetæ adiuncti Lunę, uel uicino situ aspectuue, uel testimonio ac suffragijs fuerint boni, honestas uxores: si malefici, contrarias tribuunt.

Saturnus Lunę applicãs, uxores promittit tetricas & laboriosas: Iupiter honestas & industrias, præsertim in œconomica administratione: Mars audaces & contumaces: Venus formosas, suaues, hilares: Mercurius sagaces & argutas. Insuper Venus cum Ioue, uel Saturnus cum Mercurio, uictui parando idoneas, amantes coniugum & liberorum. Cum Marte, iracundas, instabiles, mutabiles dat uxores.

De mulierum coniugijs Solem contemplari oportet. Etenim in orientalibus collocatus quadrantibus, significat eas, quibus hoc modo positus est, uel puellas admodum eloçandas, uel

postquam

postquam ætas defloruerit, adolescentib. nupturas esse. In occidentalibus, aut tardè elocandas, aut post florem ætatis natu grandioribus coniungendas significat. Et si unius figuræ signũ tenuerit, aut uni alicui planetarum matutino ortu præcedentium applicarit, unum maritum. Si bicorporeum, uel ex pluribus figuris compositum signũ habuerit, aut pluribus matutino ortu se anteuertentibus configuratus fuerit, plures maritos spondet.

Saturnus Soli aliquo aspectu copulatus, uiros modestos, cõmodos, & sedulos largitur. Iupiter honestos, & magnis animis præditos. Mars strenuos, alienos à communibus hominum affectibus, impatientes ordinis & legum. Venus, elegantes & formosos: Mercurius uictui parando idoneos. Venus cum Saturno, ignauos, & ad consuetudinẽ coniugalem imbecilliores: cum Marte feruidos, in Venerem pronos, adulteros: cum Mercurio, liberorum amãtes.

Quadrantes autem orientales, intelligimus in Sole eos duos, qui horosco-

pum & cardinem occiduum antecedunt. In Luna uerò, quadrantes duos nouiluuio & plenilunio proximisq; quadraturis interiectos: id est, unum in quo Luna à congressu cum Sole crescit usq; ad figuram dimidiatam: alterum, in quo post plenum orbem marcescit rursus usq; ad effigiem dimidiatã. Occidentales quadrantes intelligimus eos, qui his opponuntur.

Firma autem ut plurimum fiunt, & durabilia coniugia, quando in genituris utriusq; lumina amicis se mutuò radijs intuentur: utpote triquetris, uel sexangulis: tumq; uel maximè, quando ex suis locis uicissitudine quadam permutatis se mutuò receperint. Multo etiam magis, quando uiri Lunæ, mulieris Soli, hoc modo congruerit. Dissoluuntur autem leui occasione matrimonia, & alienati à se mutuò prorsus dissident coniuges, quando positus luminum iam commemorati, incidunt in signa inconiuncta, & aliena, uel ipsa oppositus quadratis ue se mutuò feriũt radijs.

dijs. Porrò si lumina ex cõuenientib. locis sociata, benefici quoq; aliquo fouerint aspectu, totam uitæ in coniugio cõ suetudinem suauem, plenam mutuæ & perpetuæ beneuolentiæ, & utrisq; cõmodatam efficient & conseruabũt: male fici contrà, & discordias serent, cõtentiones q;, & inuerecundam uitæ cõsuetudinẽ, atq; utrisq; noxiã & damnosam reddẽt. Eadẽ ratiõe si luminib. collocatis in statu inconuenienti, benefici cõsenserint aliquo suffragio, nõ prorsus uitæ consuetudinem dirimunt, sed sanãt offensas, alienatosq; reconciliãt, & ad pristinam consuetudinem reducunt, tuenturq; mutuum inter eos amorem & beneuolentiam. Malefici uerò diuellunt coniugium, & ferè cum uiolentia aliqua, aut infamia. Mercurius solus illis adiunctus, notoriam atq; in ore uulgi uersantem ignominiæ labem aspergit, & actionib. iudiciarijs implicat. Idem cum assidente sibi Venere, adulterij aut ueneficij criminibus, uel alijs huiusmodi notat.

Reliquas coniugiorum differentias

ex

ex Venere, Marte, & Saturno, iudicare oportet. Congruentes enim hi cum luminibus, domesticas & legitimas cõiunctiones decernunt: eritq; cõiunctio talis, qualis Veneris erga alterutrũ habitudo atq; affectio. Marti copulata, iuuenculam spondet uxorem. Altitudines enim utriusq; permutatim in alterius trigonis existunt. Saturno iũcta, ætate grandiusculam, quòd domicilia utriusque permutatim in alterius trigonos incidunt. Quare cum Marte ipsa absolutè uenereas naturas efficit: quib. si adfuerit Mercurius, prodet quæ faciẽt, & peruulgabit. Quod si ex signis promiscuis & utriq; cognatis ac familiaribus sibi inuicem applicuerint, ut Capricorno & Piscibus, illegitimas cum sororibus aut cõsanguineis copulationes designant. In uirorũ uerò genituris, si Luna etiam astiterit, cum duabus sororib. aut consanguineis: in mulierum, si Iupiter assederit, cum fratrib. duob. alijsue sanguine iunctis tales commiscebunt.

Saturno iuncta Venus suauem omnino & stabilem consuetudinem uitæ in con-

coniugio præstat. Mercurius si accesserit, etiam commoda confert. At si Mars se miscuerit, instabilis erit uitę cõsuetudo, damnisq; & nocumentis obnoxia, & certabunt ipsi inter se coniuges æmulatione atq; inuidentia. Quòd si aspectu felici, uel ex conuenientibus signis locisúe Mars se illis insinuauerit, æquales despondet. Si tamen orientalior fuerit utroq; , natu minores : si occidentalior , natu grandiores demõstrat. Si uerò cognata naturæ suę signa simul uel permutatim obsederint Venus & Saturnus, ut Capricornum aut Libram, commixtiones cum cõsanguineis portendunt. Quòd si hoc positu in horoscopum inciderint, aut cœli culmen, & Luna accesserit, mares cum matribus, uel materteris, aut nouercis rem habituros: femellas filiõs, aut priuignos, aut filiarum maritos admissuros designãt. Quòd si Sol cõcurrerit, fuerintq; planetæ occidentales, mares filias uel priuignas, uel nurus, id est, filiorum uxores incesta consuetudine polluturos : femellis eandem consuetudinem

onem habituri sint uiri, Mars ostendet. Etenim à Venere Saturnoq; separatus, & Iouis adiutus suffragio, elegantes & uerecundos in concubitu, & naturali usu uenereorum contentos: soli Saturno adiunctus, segnes & frigidos ad concubitum efficit. Venere uerò & Ioue, aliquo annexis sibi aspectu, promptos quidem & appetentes uenereorum reddit: sed ita tamen, ut contineant & moderentur sese, caueãtq; ne incurrant in infamiã & reprehensiões. Cum sola Venere, aut si etiam Iupiter adsit, Saturno tamen remoto, lasciuos, cupidos rei uenereæ, intẽtos in omnes occasiones explẽdæ libidinis parit. Et si alter planetarum uespertinus, matutinus alter fuerit, ad masculã promiscuè & femin eã uenerẽ propẽsos, neutrius tamẽ nimio desiderio obnoxios. Si uerò uterq; uespertinus fuerit, ad solos cõcubitus cũ mulierib. ardẽtissimos præstabit. Quin etiam si tũc simul in signis planetæ femininis hæserint, nati se fœdè contaminandos præbebunt alijs. Si cõtrà uterq; matutinus fuerit, masculis

amo-

amoríb. capiẽtur. & ſi tunc ſigna ſimul maſculina tenuerint, erga cuiuſuis ætatis mares afficiẽtur abſq; diſcrimine. De nicq; ſi Venus occidentalis fuerit, cum uilibus, famulabus, aut peregrinis: ſi ea Martis conditio fuerit, cum ſuperioríb. aut dominabus, rẽ habituros denotat.

De mulíeríbus, Veneris obſeruãda conditio eſt. Etenim Iouí configurata, & Mercurío, moderato mũdoq; uenereorum uſu contentas: ſolí iuncta Mercurío, Ioue abſente, procliues quidẽ in Venerem, & cupidas concubitus, uerecundas tamen, & maxima ex parte difficiliores, ac fugitãtes turpitudinis: Marti ſolí aſsiſtens, aut configurata, ſalaces quidem, & in Venerem pronas, ſed ſegnes, etiam ſi tunc Iupiter præſtò fuerit, efficit. Marte radijs ſolis occultato, ſeruos, uiles, aut peregrinos admittent: Venere in radios Solis merſa, cum ſuperioribus, aut dominis, pellicum aut concubinarum more concumbent. Quòd ſi ſigna aſpectusúe planetas effœminarint, ad patiendũ ſolum habiles & pronas: ſi maſculina fuerint loca planetarum,

rum, ad alias irritandas procliues fore demõstrant. Saturnus, his ita dispositis planetis connexus, si fuerit & ipse effœminatus, fœdæ libidinis autor est. Si orientalis extiterit, & masculinus, ui tuperia conciliat ob rem ueneream, & infamat insigniter. Iupiter contrà moderatur talia, & componit. Mercurius publicat, ac perutulgat, atque inuisa reddit.

## De liberis.

Postquam quæ de coniugio considerandasunt, edocuimus, restat ut de liberis disseramus. De his consulẽdi sunt & pensitandi planetæ, in cœli culmine uel succedente, (cui boni dæmonis appellatio tributa est) consistentes, his ue configurati. Si tales nulli reperientur, illi qui opposita loca obsident, uel intuentur, expendendi erunt.

Censentur autem largiri prolem, Luna, Iupiter & Venus. Contrà negare, auferre, uel minuere, Sol, Mars & Saturnus. Mercurius prout his illis ue se corpore uel aspectu insinuat, sic effectu

oriẽtaliores, uel in cardinib. positi dignioribus, aut succedẽtib. domicilijs, aut elati supra cęteros fuerint.

Si igitur planetæ, qui prolificis dominantur signis, orientales fuerint, donãt liberos. Si tunc quoq; in signis proprijs hæserint, claritatem illis & illustre nomen adiungunt. At si occidentales fuerint, aut in loca alienæ conditionis concluſi, abiectos & obscuros liberos designant. Quòd si horoscopo cõgruerint, & parti fortunæ, erũt liberi in amore parentum, uenusti, suaues, & hæreditate à parentibus relicta potientur. Sin dissenserint ab ijsdem, aut ex aduerso constiterint, contendent liberi, & simultates exercebunt cum parentibus, nocebunt eis, nec consequentur ius hęreditatis. Sic cum se inuicem planetæ radijs amicis complectuntur, cõcordes tribuunt liberos, & inter eos fraterno amore deuinctos, ac mutuis & coniunctis operis atq; officijs, tuentur & conseruant stabilem beneuolentiam. Cum dissident, aut oppositis se ac hostilibus impetunt radijs, odijs mutuis &

ſtudio alẽdarum inimicitiarum atq; inſidiandi ſibi inuicem liberos incendũt. Quæ minutiora ſunt, ſcrutari & eruere quiſpiam ſingillatim poterit, ſi horoſcopum aſſumpſerit cuiuſuis planetæ, qui liberos pollicetur, atq; ex reliquo ſchemate non ſecus atq; ex themate geneſeos generalẽ inſtituerit cõſiderationem.

## *De amicis & inimicis.*

Amicitias & inimicitias maiores & durabiliores, uocamus naturarum ſocietatem & odia. Minores uerò & breuiores, uocamus familiaritates & lites. Talis autem erit harũ rerũ cõſideratio.

De præcipuis cauſis mutuæ beneuolentiæ, aut diſſidiorum, conſidereñtur loca dominãtia in natiuitate, locus Solis, Lunę, Horoſcopus, & pars fortunæ. Cum enim ſunt in ſignis ijſdem, aut permutatis, ſeu omnes, ſeu plurimi, & maximè cum aſcendentes diſtant ſeptemdecim gradibus, erunt naturarum ſocietates firmæ, indiſſolubiles, & in quibus nullæ accidunt iniuriæ.

Sed ſi illi ſunt in locis nullo inter ſe aſpectu

adſpectu copulatis, aut oppoſitis, erũt inimicitiæ & diſſidia diuturna.

Si neutri ſint poſitus, quos dixi, uel amicitiam uel inimicitiam ſignificãtes, ſed ſint adſpectus ut trigoni aut hexagoni, beneuolentia erit, ſed minor. Quadrati uerò faciunt minora odia, ut exiſtunt inter amicos ſimultates & querelæ, tunc cum maleficæ ſtellæ ad ea loca uenerint, quæ amicitias ſignificant.

Rurſus uerò inter inimicos inducias & reconciliationes, cum boni adſpectus incurrunt.

Poſtquam autem tria ſunt amicitiarum genera: aut enim coiunguntur homines conſilio, aut propter utilitatem, aut propter uoluptatem & dolorem: Concurrunt igitur in amicitia hæc tria, cum omnes poſitus, aut plures, ita inter ſe congruunt. Rurſus & inimicitiæ erunt omnium generum, cum prorſus non congruunt poſitus.

Cum uerò lumina congruunt, erit amicitia adiuncta conſilio optima & tutiſsima: aut cum non congruunt, erit amicitia peſsima & infida. Cum pars

fortunæ congruit, erit amicitia contracta utilitatis causa. Cum uerò ascendens congruit, erit amicitia uoluptatis causa contracta.

Conferendæ autem sunt geneses, ad uidendum in utra sint exaltati planetæ, & in utra alij alios intueantur.

In qua igitur erit exaltatio, aut si idē signum proximè erit succedens, id amicitiam uel inimicitiam maximè reget. Vbi autem alij alios feliciter adspiciunt, ad beneficentiam amicitia erit utilior, & ad corrigendas simultates accommodatior.

In subitis uerò familiaritatibus & discordijs, motus planetarum in utraque genesi considerandi sunt: hoc est, quādo prorogator temporis in una, uenit ad prorogatorem temporis in altera. Ita enim fiunt breues amicitiæ, & durantes exiguo tempore, usq; ad dissolutionem. Diutius uerò durant, si accedat aliquis planeta succedens.

Cum igitur Saturnus & Iupiter ita cōgruent, ut alter ad alterius loca perueniat, faciunt amicitias aut ciuilis con

silij societate, aut propter agriculturã, aut hæreditatem.

Saturnus & Mars, significant pugnas, & insidias consultò instructas.

Saturnus & Venus, coniunctionẽ propter cognatas personas, sed quæ citò frigescit.

Saturnus & Mercurius, cognationes, familiaritates, societatem commerciorum, contractuum & sacrorum efficit.

Iupiter & Mars, sodalitia per magistratus, aut alias gubernationes.

Iupiter & Venus, amicitias per publicas personas, quæ sacrificijs aut uaticinijs occupatæ sunt.

Iupiter & Mercurius, conuersatiões propter studia doctrinæ & artium.

Mars & Venus faciunt conuersationes per amores, adulteria & scortationes: quæ tamen & periculosæ sunt, & non diu sunt lætæ.

Mars & Mercurius, inimicitias, infamias & rixas significant, literis mandatas, & ueneficia. Venus & Mercurius significant familiaritates ex artibus, stu-

dijs, & commercio literarum, aut à mu lieribus ortas.

Incrementa uerò & decrementa breuium sodalitatum, iudicanda sunt ex cõgruentia quatuor præcipuorum locorum. Nam in cardinibus, parte fortunæ, ac luminum locis, accessio erit illustrior: sed cum ab illis locis aberũt stellæ significãtes, effectio erit imbecillior.

Sed quando boni euentus, quando mali ab amicis impendeant, ex qualitate stellarum congruentium, bona uel mala, sumendum est.

## *De seruis.*

Seruorum & dominorum concordiæ uel discordiæ sumuntur ex XII domo, & à congruentia stellarum eiusloci in genesi: seu cum in eundem locum insistent, seu cum erunt oppositæ. Maximè uerò, cum dominator signi eius loci, cum dominatore natiuitatis cõsentit, aut dissentit.

## *De peregrinatione.*

Locus peregrinationis sumitur à luminum

minum positu ad cētra, amborū quidē, sed magis Lunę. nam in occasu, aut cadentib. locis à cardinib. peregrinatiōes & locorū mutatiōes significat. Idē significat & Mars, siue in occasu, siue in domo cadēte à culmine, cum luminib. aut oppositus est, aut tetragonus.

Si aūt & pars fortunę erit in signis significātib. peregrinationē, tota uita, cō uersatio & actiones erūt apud exteros.

Et cum benefici planetæ adspiciunt significatorem itinerum, aut succedūt ei, erunt claræ & fausteæ actiones apud exteros, & reditus maturi, ac non impediti. Cum uerò malefici planetæ significatorem itinerū adspiciunt, erunt difficilia, damnosa et periculosa itinera. Sumatur aūt consideratio commixtionis, ubicȝ iuxta dominium eorum, qui eundem locum adspiciunt, ut suprà diximus.

Cum lumina sunt in oriētali quadrante, peregrinatio erit uersus orientē, aut meridiem. Sed cum sunt in occidētali quadrāte, aut ipso occasu, erit peregrinatio uersus septētrionem & occasum.

Et cum signum significans iter erit uniforme, aut cum dominantes stellæ erũt uniformes, per interualla & nõ assi dua itinera suscipientur. Sed cum erunt duarum figurarum, assiduæ & longinquæ peregrinationes erunt.

Iupiter autem & Venus cum præsunt signis & luminibus, præbent secura & grata itinera, & comitatus seu præsides regionum, per quas proficiscendum erit, seu per amicos: & accedent bonæ tempestates, & copia commeatuum.

Si etiam Mercurius adiuuat hanc significationem, erit occasio utilitatum, accessionum & donorum.

Cum uerò Saturnus & Mars dominantur luminibus, & maximè si sint oppositi secundum longitudinem, corrũpunt ea bona quæ adsunt, & implicant magnis periculis eos qui iter faciunt. Cum erunt in signis humidis, nauigationes infaustas, aut reditus per loca inuia aut deserta significant.

In fixis, lapsus per loca ardua, uel flatus uentorum.

In

In Solstitialibus & Aequinoctialib. defectus commeatuum, & morbos.

In signis humanam figuram habentibus, latrocinia, insidias, crudelitates.

In terrestribus, lacerationes metuendæ erunt à bestijs, & terræmotus. Et cũ adest unà Mercurius, pericula erunt à fulminibus, à periculosis criminationibus, à serpentibus, & uenenatorum ictibus. Sumenda est enim qualitas euẽtuum, tum fausta tum infausta, ex diuersitate circa causam, & ex locis causæ actionis, aut facultatum, aut corporis, aut dignitatis, iuxta dispositionem quę dominatur.

Quibus uerò articulis temporum hi euentus accidant, sumendũ est ex qualitate temporum, quibus planetæ ad loca significantia peruenerint.

Hæc sint hactenus breuiter exposita, & delineata.

## *De genere mortis.*

Reliqua est de genere mortis consideratio, in qua repetenda est doctrina suprà tradita de uitæ longitudine, utrũ fiet

fiet interfectio proiectione radij, an uerò delapsu significatoris ad cardinem occidentalem.

Si enim fiet interfectio propter proiectionem aut occursum radiorum, cõsulatur de morte locus, in quo fit occursus. Sed si delapsus ad cardinem occidentalem mortis causa est, ipse occasus consulatur.

Quales enim erunt insidentes ijs locis, aut si non insident, primi succedentium, tales mortes impendent: ut planetarum naturę genera euentuum uariãt, & stellæ adspiciẽtes, & qualitas loci interfectoris, & naturæ finium in signis Zodiaci.

Saturnus igit̃ dominãs, morti adfert exitium per morbos diuturnos, tabem, catharros, febres putridas, lienis labefactationem, hydropem, crassioris intestini aut matricis dolores, & alia mala quæ ex frigidis causis superantibus oriuntur.

Iupiter significat mortem ex angina, pulmonũ apostemate, apoplexia, spasmo, capitis doloribus, & orificij uentriculi of-

culi offẽsionibus, & ijs quæ accidũt ex anhelitu uehementiore, aut ex fœtore.

Mars adfert exitium per febres continuas, uel compositas, ictus subitos, renum obstructiones, cruorem sputi, sanguinis effluxus per intestina, abortus, infelicitatem in partu, carbunculos, neces uiolentas: deniq; per omnia quæ faciunt inflãmationes, & excessũ caloris.

Venus necat per stomachi & epatis morbos, mentagras, dysenterias, per cancros, fistulas, uenena: deniq; per humoris redundantiã, aut corruptionem.

Mercurius necat per furores, animi cõsternatiões, melãcholica delíria, morbum comitialem, tusses, angustias pectoris, & morbos qui ex immodica sicitate, aut corruptione sicca oriuntur.

Moriuntur ergo naturali morte, qui discedunt ex uita, cum stellæ, quæ dominantur morti, retinent suas, aut familiares qualitates, non impeditæ à malefícis, leuatis super eas: quæ grauius lædere, & insigniorem exitum facere possunt.

Erunt autem mortes uiolentæ, & insignes,

signes, quando aut ambæ maleficæ dominantur loco interfectori, seu coniuncti, seu ex quadrato se adspicientes, aut oppositi secundum longitudinem: aut cum alteruter, uel ambo, Solem aut Lunam adfligunt. Genus enim mortis horum coniunctio, sed claritatem & magnitudinem lumina significant. Præterea qualitas iudicanda est ex aliarum stellarum adplicatione, & ex signis in quibus sunt maleficæ.

Saturnus enim aut quadrato adspectu, aut ex opposito adspiciens Solem, uitæ minitans, in signis fixis, necat per præhensiones turbæ, aut per anginas, aut strangulationem.

Idem minatur Saturnus occidens sequente Luna. Et cum est in signis ferinis, significat laceratione à bestijs.

Et cum Iupiter adflictus adspicit Saturnum, natus objicietur bestijs, in publico cœtu, aut spectaculo.

Cum uerò oppositus est Saturnus alteri luminum, ascendenti in horoscopo, significat mortem in carcere.

Cum Mercurium adspicit Saturnus,

maxime

maximè circa loca serpentum in cœlo, aut circa ferinas figuras: significat mortem à uenenatis animalibus.

Sed cum simul est Venus, significat ueneficia, & insidias muliebres.

Cum uerò Luna in Virgine, Piscibus, aut humidis signis adspicit Saturnum, mergitur natus in undas. Et circa nauim Argo significātur naufragia.

Iunctus autem Saturnus Soli in solstitiali signo, aut oppositus, aut uice Solis Marti oppositus, significat natū opprimi ruina.

Sin autem illi tenebunt medium cœli, ex arduo loco præceps cadet.

Mars autem cum Solem infaustum, aut Lunam quadrato adspectu aut opposito adspicit, in signis humanis significat neces in seditionibus ciuilibus, aut interficiendos ab hostibus, aut sua manu. Cumq; Venus Martem adspicit, significat mulieres aut causam necis præbere, aut ipsas natum interfecturas esse. Cum uerò Mercurius Martem adspicit, natus interficietur à piratis, aut latronibus, aut grassatoribus.

In signis

In signis mutilis, aut quorum figuræ sunt imperfectæ, aut circa caput Meduſæ, Mars significat capite truncandos, aut membris mutilandos.

In Scorpio uerò, aut Centauro, significat morituros ustionibus, aut sectionibus medicorum, aut spasmis.

Cum uerò Mars culmen cœli, aut oppositum locum tenet, significat necem in cruce, maximè si Mars prope Cepheum aut Andromedam erit.

Sed in occasu & opposito horoscopi, significat comburi uiuos.

In signis autem ferinis, significantur neces ex lapsu, aut tractione.

Et cum Iupiter adspicit Martem afflictus, erunt neces insigniores, ex iudicijs, aut ira ducum aut regum.

Et cum simul sunt malefici, aut oppositi inter se secundum longitudinem, in locis lethalibus, plus cõferunt ad necis atrocitatem, ut fert dominium eius qui est in loco interfectore. Et erit duplicatum malum: aut maius qualitate & quantitate, cum ambo malefici rationẽ habent ad locum interfectorem.

Tales

Tales & insepulti relinquentur, & laniabuntur à bestijs, & uolucribus, si malefici in ferinis signis erunt, nec adspicit locum interfectorem aliquis beneficus. Et erunt neces in peregrinis regionibus, cum stellę significantes ueniant ad illorum itinerum tempora: maximè cum ibi Luna erit, aut quadrato adspectu, aut ex opposito illa loca adspiciet.

*De temporum diuisione.*

Pertractatis singulis partib. in summa, quæ de corpore, moribus & fortuna quæruntur, ut initiò instituimus, cū quidem consideratio tantum de præcipuis & crassioribus partibus loquatur: nunc addenda est consideratio de temporum diuisione, physica, & conueniens superiori doctrinæ.

Vt igitur in omnibus prædictionib. fatum commune potentius particularibus respici primum solet: ita regio attendatur, qua particularia multa iudicantur, uidelicet circa formas corporū, mores animi, legum uarietates. Et

physicè considerans semper potentiorem causam anteferet, ne propter similitudinem natiuitatum, de forma dicat Aethiopem album fore, aut prolixa & demissa cæsarie: Germanum uerò fuscum & crispum: aut hos placidos fore, & amantes artium & spectaculorũ: econtrà uerò Græcos, feros & inerudi tos. Neue de legibus & uiuendi consuetudine aberret à gentis moribus: ut si quis Italo promittat sororis cõnubiũ, quod Aegyptijs usitatum est: aut Aegyptio matris cõnubium, quod Persis usitatum est. Denicp semper uniuersale fatum anteferendum est, deinde particularia secundum magis & minus accommodanda.

Eodem modo & in diuisione tẽporum, ad differentias ætatum accommodandi sunt euentus, ne hallucinantes infanti tribuamus actionem, aut nuptias, aut aliud conueniens adultis: aut effœto seni generationem, aut aliud iuuẽtuti proprium. Sed pro temporum ratione ætatibus congruentia & possibilia accommodemus.

Vna

Vna est enim coniectura de uniuersali hominum natura, iuxta collationē ordinis planetarum, incipiens à prima ętate & orbe nobis proximo, uidelicet lunari: & desinens in ultima ætate, & supremo orbe planetarum, scilicet Saturni.

Et accidunt cuilibet ætati congruentia naturæ sui planetæ, quæ tamen generaliter sumenda sunt: & differentiæ particulares, sumātur ex proprietatib. inuentis in cuiusq; genesi.

Primos igitur quatuor annos, secundum proprium numerum quadriēnij, Luna gubernat infantis ætatem, & humiditatem ac fluxus corporis & celeritatem incrementi, & aquosum nutrimentū, & mutabilitatē temperamenti, & hebetē uim rationalis partis, regit pro suę naturę qualitate & efficacia.

Sequens decennium ætatis puerilis, regit Mercurius iuxta dimidium uigintī annorum, quo spacio partem rationalem format & fingit, ut semina disciplinarum inserantur, & morum ac studiorum proprietates conspiciantur, & ex-

uſcitat animos doctrina, aſſuefactione & primis exercitijs.

Tertiam ætatem, uidelicet adoleſcẽtiam, regit Venus, ſequentibus octo annis, qui numerus cõgruit cum proprio ipſius circuitu. Incipit enim tunc motus ciere ſeminalium meatuum, & eorũ impletionẽ, & adpetitionem ad uenerea. Tunc enim maximi ſunt ſtimuli & ardores libidinis, amor, error, & incogitãtia in eo ipſo quod oculis cernit.

Quartam uerò & mediam ætatem iuuenilem Sol regit, qui mediam ſphæram tenet, ac dominatur annis undeuiginti, & addit animæ quiddam herile, & autoritatem & grauitatem actionũ, & cupiditatẽ gloriæ, & honeſti ſtatus: & tranſitum à ludis, & incompotis moribus, & accerſitis uitijs, ad ſeueritatẽ, modeſtiam, & appetitionem honorũ.

Quintus uerò Mars uirilem ætatem regit annos quindecim, iuxta ſuam periodum: & facit animos acriores, & laborum tolerantiores, & auget ſolicitudines, & moleſtias animi & corporis: ac ſenſum indit, & cogitationem, qua-

lis eſt

lis est in ætate egressa iam præcipuum uigorem, & acuens ad gerendum aliquid memoratu dignum, & cum labore suscipiendum, antequam propius accedit finis.

Sextus Iupiter regit senectam annos duodecim, iuxta suum circuitum, ac facit auersari labores propriarum manuum, difficiles, molestos & periculosos: & adducit grauitatem, prouidentiam, amorem successuum, diligentiã in cõsilio capiendo, in admonitionib. & cõsolationibus, curam tuẽdi honoris & laudis, liberalitatẽ, reuerẽtiã & sanctitatẽ.

Postremus est Saturnus, qui ultimã senectam regit, cum iam nimio frigore corporis & animæ motus impediũtur, in audacia, uoluptate ciborum, & libidine. Postquam natura amisso uigore tam celeriter deficit, & arescit corpus, & accedit tristitia, & facilis est offensio & magna morositas, propter motuum imbecillitatem, propriam illi ætati. Hæc sunt ætatum discrimina, in genere considerata.

Particulares uerò significationes sumendæ

mendę sunt secundum suam cuiusq; ge neſin, ut suprà de singulis uitæ gradi. bus & accidẽtibus dixi, ex loco dimissi onis radiorũ, ut de uitæ tẽpore dictum est. Spectãdum uidelicet, quãdo signi ficator ad eum locum perueniat.

Ac ex horoscopo de ualetudine & peregrinatione iudicandum erit.

De facultatibus, ex parte fortunæ. Ex Lunæ positu, de animæ moribus & conuersatione. Ex Solis positu, de dignitate & gloria. At ex medio cœli, de cę teris uitæ actionib. de amicitijs, de pro creatione liberorum.

Non enim erit una benefica stella do minatrix eodem tempore, cum multa concurrant simul contraria accidentia. Vt quando aliquis amittens cognatũ, accipit hęreditatem: aut ęgrotans ad di gnitatem euehitur: aut cum amanti oci um nascuntur liberi, aut concurrunt a. lia, ut multa accidere solent. Non e. nim pariter fausti sunt, aut infausti euẽ tus corporum, animæ, facultatum, dig nitatis, amicorum aut inimicorum: sed accidit fortasse tale quiddam in sum-

ma

ma felicitate aut summa calamitate, quã do concurrunt aut beneficæ omni radiorum dimissione, aut contrà maleficæ. Sed id rarò fit, propterea quòd hęc infirma hominum natura rarò ad alterutrum extremorum accedit, sed prona est ad mixturam bonorũ & malorum.

Loca igitur prorogatoris, dicto modo sumemus, stellas occurrentes sibi in locis ad quę radij dimittuntur. nec solũ sumemus interfectores, ut de uitæ temporibus dixi, sed omnino omnes: nec tantum corporibus coniunctos, aut oppositos, aut ex quadrato se adspicientes, sed etiam ex trigono aut sexangulo se adspicientes.

Et primùm quidem danda sunt tẽpora cuiuslibet prorogationis illi planetæ, qui tenet gradum loci aphetici, aut alteri illum adspicenti.

Si autem deest, demus ei planetę, qui proximè antecessit: donec peruenie-mus ad alium, qui adplicatur ad sequẽtem gradum iuxta ordinem signorum.

Deinde huic tribuemus tempora usque ad sequentem, & in cæteris simili-

ter: & ſimul adſumãtur planetæ, ut ſint diſpoſitores, qui ſunt in ſuis finibus.

Cum autẽ prorogatio ſumitur ab horoſcopo, dentur anni gradib. longitudinis, æquales aſcenſionib. cuiuſq; climatis. Sin autem ſumitur prorogatio à medio cœli, denẽ anni ęquales aſcẽſionib. medij cœli. Ac uſq; ad cardinem ſimili modo dentur anni æquales pro proportione collati ad aſcenſiones, aut deſcenſiones, aut tranſitum in medio cœli: ſicut & ſuprà dictum eſt, de uitæ temporibus.

Conſtituemus ergo prȩcipuos ac uniuerſales temporum datores, hoc modo, quem recenſui. Annos uerò conſtituemus hoc modo, computãtes ſecũdum ſignorum ſucceſsionẽ à loco prorogatore, numerum annorum nati, & ſingulis gradibus annum tribuẽtes, ac ſumentes poſtremum tãquam diſpoſitorem. Sic & de menſibus faciemus, cõputantes numerum menſium à natiuitate, à loco qui dominatur ei anno quẽ cõputas: ac tribuemus ſingulis ſignis dies uigintiocto. Item q; dies poſt nata-

lem

lem diem, numerabimus à locis mensium, tribuentes cuilibet signo, ordine dies duos & dimidium.

Animaduertendum etiam, quæ stellę potissimũ generales locos transeãt. Non enim parum ad deprehendenda tẽpora euentuũ momenti adferunt. In generalibus aũt locis præcipua uis est Saturni, Iouis in annuis: Martis & Solis, Veneris & Mercurij, in menstruis: Lunę uerò transitus in diurnis. Notandum & hoc, quòd generales temporũ arbitri præcipuè euentus producunt & gubernant: particulares uerò, uel adiuuant illorum actiones, uel impediunt, pro naturę suę conuenientia aut diuersitate. Transitus stellarum uel augẽt intenduntq;, uel relaxant & minuunt accidentia. Etenim generaliter prorogatoris locus, & generalium temporũ dominus, assumpto etiam participe finium domino, accidentium qualitatẽ & durationem significant. Retinent enim singulę stellę conuenientiam cum illis genituræ locis, quorũ dominium initio acquisiuerunt. Vtrum prospera

futura sint accidẽtia, uel aduersa, deprehẽdetur ex proprietate naturali & acquisita, benefica uel malefica arbitrorum tẽporis: itemq; ex eorundẽ à principio cum locis, quæ obsederunt, conuenientia aut discrepantia.

Quo tempore se decretorũ uis præcipuè ostensura sit, cognoscetur ex configuratione signorum annuorũ & menstruorum ad illa loca, quæ earum effectionum causæ sunt, itemq; ex habitudine ad annua & menstrua signa illorũ locorum, per quæ planetæ transitus faciunt, & ex quibus Sol Lunaq; eadem intuentur. Si enim fuerit à principio in genitura horum cum locis, quos afficiunt, congruentia, & accesserit postea in transitu conueniens ad eadem configuratio, pro re nata bonũ: si contraria illis, imbecillia omnia. At si conuenientia nulla sit, sicq; diuersitas conditionis simul incidat, aut in transitu oppositis quadratisue radijs loca illa infestẽt planetæ, malum adferunt. Idq; in reliquis configurationibus fieri non solet.

Cum ijdem domini extiterint & tẽporum

porum & transitus, ingentia & mediocre nihil decernunt in utramq; partem: multoq; magis etiamsi non solum ideo quod temporũ arbitri, sed quòd à principio dominiũ in genitura sortiti sunt, causas rerũ complexi fuerint. Prorsus autem felices fiũt, quorum unus idēq; locus in omnes aut plures prorogationes inciderit: aut si hæ diuersæ fuerint, cum ijsdem temporibus omnes plures ue occursus beneficorum aut maleficorum concurrerint. Hæc de consideratione temporum hoc loco dixisse sufficiat. Genera euentuum in quibusq; temporibus nõ attexam, eo quòd, ut initiò proposuimus, uniuersali stellarum efficacia cognita, particularia consequenter accommodari possunt, si aptè cum Mathematici causa, iuncta fuerit etiam causa mixtionis.

FINIS.

# CL. PTOLEMAEI CENTILOQVIVM, SIVE *centum sententiæ, Io. Iouiano Pontano interprete.*

'Te & à sciẽtia. Fieri enim nequit, ut qui sciẽs est, particulares rerũ formas pronunciet: sicuti nec sensus particularẽ, sed generalẽ quandam suscipit sensibilis rei formã. oportetq; tractantem hæc, rerum coniectura uti. Soli autem numine afflati prædicunt particularia.

2 Cum is qui consultat, ipsum melius scrutabitur, inter id & eius formã nulla rerum differentia erit.

3 Qui ad rem quampiam aptus est, habebit profectò & huiusmodi significationis stellam, admodum potentem in sua genitura.

4 Anima ad cognitionem apta, ueri plus assequitur, quàm qui supremũ in modum se in scientia exercuit.

5 Potest qui sciens est, multos stellarum effectus auertere, quando naturam

ram earum nouerit, ac seipsum ante illo rum euentum præparare.

6 Tunc dierum prodest & horarum electio, cum tẽpus à genitura bene cõ stitutum est. Si enim contrarium est, ne quaquam profecerit: quamuis bonum fortasse exitum respexerit.

7 Non potest quispiam stellarũ mix turas percipere, nisi naturales prius dif ferentias, mixturasq; cognouerit.

8 Sapiẽs anima confert cœlesti opera tioni: quemadmodum optimus agrico la arãdo, expurgandoq;, cõfert naturę.

9 In generatione atq; corruptiõe for mæ afficiunt à cœlestibus formis. Idcir co qui imagines faciunt, ijs utuntur, cũ eò stellæ ingressæ fuerint obseruantes.

10 In dierum horarumq; electionib. utere maleficis: perinde ut optimus me dicus ad curationem uenenis utitur, moderatè.

11 Diem horamq; non antè elígas, quàm propositæ rei noueris qualitatẽ.

12 Amor odiumq;, ne uera eueniant iudicia, prohibent: liquidem minuunt maxima, augent minima,

Cum

13 Cum cœlestis constitutio quippiã significauerit, adiutricibus etiam corruptiuis stellis, hoc est, secundarijs utere.

14 Quantis in erroribus uersatur astrologus, cum locus septimus, atq; eius dominus afflicti erunt?

15 Ascendentia inimicorum regni, sunt signa ab ipsius regni ascendente declinantia. Amicorum uerò ascendentia, sunt cardines, locaq; succedentia. Idem & in dogmatibus.

16 Cum in octauo loco beneficę dominabuntur, damnum à uiris bonis afferunt: quę si bene affectę fuerint, illud dimouebunt.

17 Cum de senis cuiuspiam uita iudicas, non antè iudiciũ feres, quàm dimẽsus fueris, quot ille possit annos uiuere.

18 Cum ambo luminaria in eodẽ minuto fuerint, si ascendit benefica, natus equè sanè in omnibus quę inciderint, bene fortunatus erit. Simili modo, si & inuicẽ opponent ab ortu atq; occasu. Sin malefica est in ascendente, contrarium sentias.

19 Vis purgationis hebetatur, cũ Lu

na

na fuerit Ioui coniuncta.

20 Membrum ferro ne percutito, cum Luna signum tenuerit, quod membro illi dominatur.

21 Cum Luna fuerit in Scorpione aut Piscibus, dominusq; ascendentis stellæ sub terram positæ copulabitur, bonum est purgationibus uti. Si uerò copulat̃ stellę supra terram constitutæ, potion̄ qui sumpserit, euomet.

22 Vest̄ nec primùm induas, nec incîdas, ubi Luna fuerit in Leone collocata. Est autem peius, si eadem malè affecta fuerit.

23 Lunæ ad stellas figuratio, natum bene agilem facit: quæ si potētes fuerint, effectiuam: sin imbecillę, inertem ad agendum commotionem indicant.

24 Defectus luminarium in cardinibus geniturę, annuarum'ue conuersionum, noxius est: accipiūt autem locū ab interuallo ascendentis ac loci defectus. Vt autem ab hora solaris eclipsis annos, sic ab eclipsis lunaris horis menses capis.

25 Dominatoris progression̄ cum in medio

medio cœli positus est, per sphęrę ascē siones: cū uerò in ascendēte cōstitutus est, per climatis ascensiones facito.

26 Latet planè res, cū stella eam signi ficās aut sub terra, aut in loco alieno Soli coniungitur: contrà patet, cum è depressione in altitudinem tollitur, propriocp in loco collocatur.

27 Venus nato uoluptatem affert in membro, cui signum in quo ipsa est, dominatur. Idem & in cæteris stellis.

28 Cum præstare non poteris, ut duabus Lunam stellis cōiungas: id præsta, ut stellæ fixæ eam coniungas, illarum mixturam habenti.

29 Stellæ fixæ irrationabiles, atcp ad mirabileis felicitates afferunt: quas tamen plerunch calamitatibus insigniūt, nisi & planetę ad felicitatē cōueniāt.

30 Inspice primorum generis regum creationes. Si enim ascendens creationis conuenit cum ascendente genituręregis filij, is regis successor erit.

31 Cū regni dominator in locū climatericū inciderit, tunc aut rex, aut è regni principibus magnus quispiā morietur.

Concor-

32 Concordiam inter duos facit conueniens stellarum figuratio, speciẽ rei significantium, ex qua beneuolẽtia in utriusq; genitura constituta est.

33 Amor, odiũ, tũ ex luminarium concordia discordiaq;, tum ex utriusq; genituræ ascendentibus deprehenditur. Adaugent autem beneuolentiam, obedientia signa.

34 Dominator seu hospitator interluniũ, si cardinalis fuerit, quæcũq; illo mẽse futura sint, significat.

35 Sol cum in alicuius stellę locum deuenerit, uim eius excitat, quam in aere habet.

36 In condendis urbibus, stellis fixis, quę conferre habeant, utere: in ędificãdis uerò domibus, erraticis. Reges cuiuscunq; urbis, quę Martem culminantem habuerint, gladio plerũq; pereũt.

37 Qui Virginem aut Pisces horoscopum habent, hi potestatis suę causa erunt. Quorum autem ascendens erit Aries aut Libra, hi mortis suę causa erunt. Eodem modo in cęteris signis ratiocinaberis.

38 Cum Mercurius in altera domo Saturni constitutus ac potens fuerit, cõiecturatiuum nato dat intellectum, ac rerum scrutationem: in Martis uerò domo, ac præsertim in Ariete, facundiam.

39 Afflictio undecimi loci in creatione regis, detrimentum significat & domesticorum eius, & pecuniarum. Secundi autem loci afflictio, pecuniarum ouilis eius detrimentum significat.

40 Cum ascendẽs à maleficis oppressum fuerit, qui tunc natus est, sordidis rebus delectatur, ac malè olentes odores probat.

41 Loci octaui, dominiq; eius afflictionem tempore discessus caueto: at secundi, atque eius domini, tempore reditus.

42 Morbus qui cœpit, cum Luna fuerit in eo signo, quod malefica aliqua tenuit in genitura, siue in quadrangulo, aut diametro eius, grauissimus futurus est. Si autem malefica respicit, periculosus. Sin in loco, ubi genituræ tẽpore benefica fuerit, sine periculo erit.

43 Maleficas gentis figuras cõtrariæ tempo

temporum significationes intendunt.
44 Noxium est, cum ægri ascendẽs genituræ ipsius figuris refragatur, neq; ad beneficũ aliquẽ tempus peruenerit.
45 Quisquis genituræ suæ dominatores aut ascendens in signis humanis non habet, ab humanitate alienus etiã sibijpsi erit.
46 Magnæ in genituris felicitates cõferuntur tum à stellis fixis, tum ab interluniorum cardinibus, tum à locis partis fortunæ regni, cum horoscopus in eis repertus fuerit.
47 In genitura cum malefica in locum beneficæ in alterius genitura inciderit, is qui beneficam habet, ab eo qui habet maleficam, detrimento afficietur.
48 Quando culmen domini, hoc est principis, fuerit horoscopus subiecti, aut dominatores benevola configurabuntur figura, diu inseparabiles permanebunt. Idem etiam, cum sextus locus serui inuentus fuerit horoscopus principis.
49 Cum ascendens subiecti fuerit culmen in genitura domini, tantam subie

cto illi fidem dominus adhibebit, ut ei ab illo imperetur.

50 Ne prætermittas centum & decẽ nouem coniunctiones. In his enim posita est cognitio eorum, quæ fiunt in mũdo & generationis & corruptionis.

51 In quo signo Luna est genituræ tẽpore, illud in conceptu fac ascendens. Et in quo signo inuenta fuit in conceptu, illud, aut eius oppositum fac ascendens in partu.

52 Domini genituræ hominum proceræ staturæ in sublimitatibus sunt, & ipsorum horoscopi in signorum principijs. Eorum uerò qui sunt breuis staturæ, in humilitatibus inueniuntur. Ad hæc inquirito, signa ne recta, an obliqua sint.

53 Domini genituræ macilentorum hominum, latitudinem nõ habent: pinguium autem habent. Quòd si latitudo australis est, agiles erunt: sin borealis, inagiles.

54 Dominatores in ædificationibus, ubi copulantur stellæ subterraneæ, ædificij erectionem impediunt.

Mar-

55 Martis aduersus naues noxia uis imminuitur, cum neq; in cœli medio, neq; in undecimo est loco. in his enim locis nauem corrumpit, prædonib. per uim occupantibus. Incendetur autem nauis, si ascendens ab aliqua stella fixa, quę ex Martis mixtura sit, affligetur.

56 Cum Luna est in primo quadrãgulo, hoc est, ex quo à Solis cõiunctiõe recessit, corporũ humiditates ad secundũ usq; effluũt, in reliquis aũt decrescũt.

57 Cum septimum locum, atq; eius dominum in ægritudine afflictum uideris, medicum mutato.

58 Cõiunctiõis locũ, quo in loco ab anima ascẽdẽte est, inspice: siquidẽ cum perfectio illuc peruenerit, tũc euẽtus erit.

59 De absente quod acciderit, ne pronunciato, antequam uideris, an temulẽtus factus sit: neq; quòd uulnus acceperit, antequã exquisieris, an sanguis ei missus fuerit: neq; quòd thesauros inuenerit, priusquam scrutatus fueris, ne fortè depositum acceperit, cum omniũ figuræ similes sint.

60 Super ægrotis criticos dies inspi-

ce,ac Lunæ peragrationem in angulis figuræ sexdecim laterum. ubi enim eos angulos bene affectos inueneris,bene erit languenti: contrà malè, si afflictos inueneris.

61. Luna significat ea quæ corporis sunt,ut quæ ei pro motu similia sunt.

62 Cum minutum cõiunctionis principiũ facies, potes de mutatiõe aeris in mense illo iudicare. erit enim iudiciũ iuxta dominatorẽ anguli figuræ cuiuscp. uincit enim aeris naturam, assumẽs in his etiam præsentis temporis qualitatẽ.

63 Cum Saturnus Iupitercp coniunguntur, uter eorum sublimior sit uide, ac iuxta illius naturam pronunciato. Idem etiam in cæteris stellis facito.

64 Vbi scisciationis dominatorem inspexeris,quam hic in anni conuersione,seu in ascendente nouilunij potestatem habet inspice, ac secundum hæc pronuncia.

65 In minima coniunctione, differentia mediæ coniunctionis: & in media, maximæ coniunctionis differentia.

66 Sola profectione ne utare,sed etiam

am attributionibus & ademptionibus ſtellarum.

67 Diminuuntur anni ob accipientis imbecillitatem.

68 Malefica cum matutina eſt, caſum: ueſpertina uerò, morbum ſignificat.

69 Erit in uiſu nati uitium, cum Luna Soli aduerſa eſt, ac nebuloſis ſtellis coniũgitur. Item cum Luna eſt in occiduo cardine, ambæq; maleficæ ſtellæ in cardine oriẽti: Sol quoq; cardinalis eſt, natus ipſe oculis capietur.

70 In furentibus Luna Mercurio non copulatur, neuterq; aſcendenti in dæmoniacis. in hac figura Saturnus quidẽ noctu, Mars autem interdiu cardinem tenebit: maximeq; in Cancro, Virgine, ac Piſcibus.

71 In marium genituris, cum utrunq; luminare in ſignis fuerit maſculinis, actiones eorum ſecundum naturam erunt. In genituris uerò mulierum, actiones ipſæ intendentur. Idem de Marte, Venereq; matutini nanq; maſculeſcũt, ueſpertini femineſcunt.

72 Quæ ſunt educationis, à dominis

triangularitatis aſcendẽtis capito: quæ uitæ, à dominis triangularitatis luminaris conditionarij.

73 Sol ubi repertus fuerit cum capite Gorgonis, ſi neq; adſpicitur à benefica ſtella, neq; benefica octauo loco præeſt, dominusq; conditionarij luminaris Marti opponitur, aut eum è quadrangulo percutit, ei qui natus eſt, caput trũcabitur. Quòd ſi luminare culminabit, corpus eius ſauciabitũ. Sin copulatio à Geminis, aut à Piſcibus fuerit, manus ac pedes eius amputabuntur.

74 Quicunq; Martem aſcendẽtem habet, omnino cicatricẽ in facie habebit.

75 Cum Sol aſcendentis domino coniungitur in Leone, nec Mars aliquam in ſe aſcendente prærogatiuam habet, nec benefica in octauo loco eſt, qui natus eſt, exuretur.

76 Cum Saturnus cœli medium tenet, opponiturq; ei conditionarium luminare, ac terrenum ſignum eſt in imo, qui natus eſt, ædificiorum ruina interibit. Quòd ſi humidũ ſignum eſt, aquis ſuffocabitur. Si uerò humanum, ab homini-

míníbus ſtrangulabitur, aut laqueo fla gellis' ue peribit. Verùm ſi benefica o-ctauo in loco eſt, propior his erit, nõ ta men morietur.

77 Aſcendentis profectionem pro ijs quæ corporis ſunt facito, partis fortu-næ pro ijs quæ ſunt externa, Lunæ pro corporis animæq; connexione, medi-um cœli pro actionibus.

78 Exercet ſæpe uires ſtella, quo in lo co nullas habet uires, lucrum inexpe-ctatum nato afferens.

79 Mars cum in undecimo eſt loco, qui hunc ſic habet, domino ſuo non dominatur.

80 Cum Venus Saturno coniungit, habetq; hoſpitatorẽ aliquẽ in loco ſepti mo, qui natus eſt, ſordidi coitus erit.

81 Tempora modis ſeptẽ deprehendũ tur: ab interuallo duorum dominatorũ: ab interuallo cõfigurationum inter ſe: ab acceſſu alterius ad alterum: ab inter uallo inter ſe alterius ipſorum, & loci rem quæſitam ſignificantis: ab occaſu ſtellę cum additione atq; ademptione: & à mutatiõe dominatoris: & ab acceſ

su planetæ in locum suum.

82 Cum figuræ æquales erunt nouilu nij aut plenilunij, horoscopum inspice: quæ si etiam æqualis fuerit, ad ferendã sententiam ne properes.

83 Tẽpus impetrationis, inter impetrãtẽ ac regẽ, affectionẽ indicat. Cathedra autem indicat ea, quæ actionis sunt.

84 Mars cum est ascendentis dominus tempore captæ possessionis, præestq; secundo loco, aut copulatur domino secundi, multum damnum afferet.

85 Cum ascendentis dominus secundi loci domino configurabitur, sponte princeps multas impensas faciet.

86 Sol est fons uitalis potentiæ, Luna naturalis.

87 Mẽsiũ cõuersiões fiũt ex dieb. uigintiocto, horis duab. ac minutis circiter decẽ et octo. Quidã aũt à peragratione Solis iudicãt, cũ partiliter exequatus est gradui ac minuto, qd in initio obtinet.

88 Cum partis fortunæ profectionẽ in toto reuolutionis anno facere uolumus, à Sole in Lunam, ac tantundẽ ab ascendente capimus.

Quæ

89 Quæ ſunt aui, à loco ſeptimo: quę autem patrui, à ſexto uide.

90 Cũ dominator aſcẽdens uiderit, res quæ occulta eſt, ſecundũ aſcẽdẽtis naturã erit: ꝙ ſi nõ uidet illud, erit ſecũdũ naturã loci, in quo ipſe eſt dominator. Et horę quidẽ dominus colorẽ eius, Lunę uerò locus tẽpus demonſtrat. eritq; res noua, ſi ſupra terrã: ſin ſub terram, uetus. Fortunę pars quantitatem eius, longa'ne, an breuis ſit, demonſtrat. Dominus finium, imi ac mediĳ cœli, item Lunę, ſubſtantiam eius demonſtrat.

91 Malum ſignum eſt, cum ęgroti dominator combuſtus eſt, maximè ſi fortunę pars affligitur.

92 Saturnus orientalis non adeò nocet ægro, ſicuti nec Mars occiduus.

63 Ex figuris nõ antè iudicabis, quàm cõiunctionẽ feceris. Principia enim in unaquaq; cõiunctiõe trãſmutant: quo circa ambas miſceto, nec errabis.

94 Locus potẽtioris ex dominatoribꝰ ea quæ in cogitatione ſciſcitantis ſunt, indicat.

95 Quæ cũ ſingulis oriuntur decurĳs, ea nati

ea nati uoluntatem ad artem quam tractat comprobant.

96 Significantia eclipsis, decreta sunt eius quæ propius cardines. Considera etiam naturam stellarum simul consistentium, tum erraticarum, tum fixarum, ac etiam simulacra cooriẽtia, & secundum hæc pronuncia.

97 Res de qua est scisitatio, breui perficitur, cum nouiluniũ seu pleniluniũ dominus cardinalis est.

98 Traiectiones atq; crinitæ secũdas partes in iudicijs ferunt.

99 Traiectiones aëris siccitatem indicant: quæ si ad unam partem feruntur, ab angulo illo uentum indicant: sin in diuersas feruntur partes, aquarum imminutiones, aëris turbationes, & exercituum incursiones indicant.

100 Cometę, quorum intercapedo est undecim signorum à Sole, si apparuerint in cardinibus, regni alicuius rex, aut ex principibus regni aliquis morietur. Sin in loco succedente, bene se habebunt quæ thesauri eius sunt, suum tamen gubernatorem mutabit. Quòd

si in

si in loco declinante, morbi acrepenti
nę mortes erunt. At si ab occasu mouē
tur ad ortum, externus hostis regiones
incursabit: sin non mouentur,
prouincialis hostis
erit.

FINIS.

BIBLIOTECA N.A.Z.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ΚΛΑΥΔΙΟΥ

# ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΠΗ-ΛΟΥΣΙΕΩΣ ΤΕΤΡΑΒΙΒΛΟΣ

*συνταξις, πρὸς Σύρον ἀδελφόν.*

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΚΑΡΠΟΣ,

*πρὸς τὸν αὐτὸν Σύρον.*

CLAVDII PTOLEMAEI PELVsienſis libri quatuor, compoſiti Syro fratri.

*EIVSDEM FRVCTVS LIBRorum ſuorum, ſiue Centum dicta, ad eundem Syrum.*

INNVMERIS QVIBVS HVCuſque ſcatebant mendis, purgati.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

## ΤΩΝ ΦΩΤΩΝ ΚΑΙ Ε ΑΣΤΕΡΩΝ ΣΥνοικειώσεις πρὸς τὰ δωδεκατημόρια, κατὰ τὸν Πτολεμαῖον.

| | φύσις. | αἵρεσις. | οἶκος. | τρίγωνον. | ὕψωμα καὶ ταπείνωμα | ὅρια. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ♄ | ψυχρὸς καὶ ἠρέμα ξηραντικός. | ἀρσενικὸς καὶ ἡμερινός. | ♑ καὶ ♒ | ♊ ♎ ♒ ἡμέρας. | ♎ ♈ | ἀπὸ τῆς κϛ. τοῦ ♈. αἱ δ. τοῦ ♉. κϛ. αἱ β. ♊. κϛ. αἱ δ. ♋. κζ. αἱ γ. ♌. αἱ πρῶται ϛ. ♍. ιη. αἱ ϛ. ♎. αἱ πρῶται ϛ. ♏. κζ. αἱ γ. ♐. ιθ. αἱ ϛ. ♑. κδ. αἱ ϛ. ♒. αἱ πρῶται ϛ. ♓. κε. αἱ ε. |
| ♃ | εὔκρατος μεταξὺ τοῦ ψυχικοῦ καὶ τοῦ καυστικοῦ. | ἄῤῥην καὶ ἡμερινός. | ♐ καὶ ♓ | ♈ ♌ ♐ νυκτός. | ♋ ♑ | πρῶται τοῦ ♈. ϛ. ἀπὸ τῆς ♉. ιε. αἱ ζ. ἀπὸ ♊. ζ. αἱ ϛ. ♋. ϛ. αἱ ζ. ♌. ιθ. αἱ ϛ. ♍. ιγ. αἱ ε. ♎. ιϛ. αἱ η. ♏. ιγ. αἱ η. ♐. αἱ πρῶται η. ♑. ιβ. αἱ ζ. ♒. κ. αἱ ε. ♓. η. αἱ ϛ. |
| ♂ | ξηραντικὸς καὶ καυστικός. | ἀρσενικὸς καὶ νυκτερινός. | ♈ καὶ ♏ | ♋ ♏ ♓ | ♑ ♋ | ἀπὸ τῆς τοῦ ♈ κα. αἱ ε. ♉. κδ. αἱ ϛ. ♊. κ. αἱ ϛ. ♋. πρῶται ϛ. ἀπὸ ♌. κε. αἱ ε. ♍. κδ. αἱ ϛ. ♎. κδ. αἱ ϛ. ♏. πρῶται ϛ. ♐. κε. αἱ ε. ♑. ιη. αἱ ε. ♒. κε. αἱ ε. ♓. κ. αἱ ε. |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ☉ | θερμαντικὸς καὶ ἠρέμα ξηραντικὸς. | ἄρρην καὶ ἡμερινός. | ♌ | ♈ ♌ ♐ ἡμέρας. | ♈ ♎ | οὐκ εἰσί. |
| ♀ | θερμαντικὴ καὶ ὑγραντικὴ. | θῆλυς ☾ νυκτερινή. | ♉ καὶ ♎ | ♉ ♍ ♐ ἡμέρας συνοικοδεσπότει καὶ τῷ τοῦ ♂. | ♓ ♍ | ἀπὸ τῆς τοῦ ♈. ϛ. αἱ. η. ♉. πρῶται η. ♊. ιγ. αἱ. ζ. ♋. η, αἱ. ζ. ♌. ιγ. αἱ ϛ. ♍. ζ. αἱ. ϛ. αἱ. ε. ♏. ϛ. αἱ. ζ. ♐. η. αἱ. ϛ. ♑ πρῶται. ϛ. ♒. ιβ. αἱ η. ♓. αἱ πρῶται. η. |
| ☿ | ἀκατάστατος. | ἐπίκοινος. | ♊ ♍ | ♊ ♎ ♒ νυκτὸς. | ♍ ♓ | ἀπὸ τῆς τοῦ ♈. ιδ. αἱ. ζ. ♉. η. αἱ. ζ. ♊. πρῶται. ζ. ♋. ιγ. αἱ. ζ. ♌. ϛ. αἱ ζ. ♍. πρῶται. ζ. ♎. ια. αἱ. ε. ♏. κα. αἱ. ϛ. ♐. ιδ. αἱ. ε. ♑. ϛ. αἱ. ϛ. ♒. ϛ. αἱ. ϛ. ♓. ιδ. αἱ. ϛ. |
| ☾ | ὑγραντικὴ καὶ ἠρέμα θερμαντικὴ. | θῆλυς ☾ νυκτερινή. | ♋ | ♉ ♍ ♐ νυκτὸς συνοικοδεσπότει καὶ ᾧ τοῦ ♂. | ♉ ♏ | οὐκ εἰσί. |

## ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΚΑΙ ΑΔΥΝΑΜΙΑΙ ΤΩΝ ΠΛΑνητῶν, αἱ δὲ μάζους κατὰ τάξιν προηγοῦνται, ἕπονται δὲ αἱ ἥττους.

| | | |
|---|---|---|
| οἶκος. | | ἄπρικον. |
| τρίγωνον. | κατὰ τὰς δὲ τὰς κυ- | ἀτρίγωνον. |
| ὕψωμα. | ρείας αἱ οἰκοδεσπο- | ταπείνωμα. |
| ὅριον. | τίαι λαμβάνονται | ἔξορον. |
| συσχηματι- | τῆς ἐ πρὸς ἑαυτοὺς τῶν | ἀσυσχημάτι- |
| σμὸς πρὸς | φώτων τόπους, ὡς | στον καὶ ἀσύν- |
| τὰ φῶτα, | ἐν ταῖς ἐκλείψεσι | δετον καὶ ἀπηλ |
| καὶ αἱ ἔγγυς | μάλιστα καὶ πᾶσι | λοτριωμέ- |
| συναφαὶ | συνόδοις τῶν φώτων | νοις. |
| καὶ ἀπόρ- | θεωρεῖται. | |
| ῥοιαι. | | |

| | |
|---|---|
| τὸ ἀνατολικὸν, καὶ τὸ | τὸ δυτικόν. |
| προσθετικὸν ταῖς ἰδί- | τὸ ἀφαιρετικόν. |
| αις κινήσεσι. | |
| μεσουράνημα. | |
| ἐπαναφορὰ τοῦ μεσουρανήματος. | μὴ οὕτω πως |
| ὁρίζων ἀνατολικός. | ἔχον. |
| ὑπόγειον μεσουράνημα. | |
| ὁρίζων δυτικός. | |
| τὸ ἰδιοπροσωπεῖν. | τὸ μὴ |
| τὸ λάμπειν ἢ ἰδιοθρονεῖν. | τὸ μὴ |
| τὸ χαίρειν. | τὸ μὴ |

*Χαρακτῆρες τῶν πέντε πλανήτων, ἡλίου τε καὶ σελήνης.*

♄ κρόνος. ♃ ζεύς. ♂ ἄρης. ☉ ἥλιος
♀ ἀφροδίτη. ☿ ἑρμῆς. ☾ σελήνη.

## ΜΕΤΑ ΔΕ ΤΑΥΤΑ, ΚΑΙ ΤΑ ΤΟΥ ΖΩδιακοῦ δωδεκατημόρια κινητικὸς ἐκθώμεθα, κατακολουθησάμενοι, ὡς ἐν τοῖς πρότερον, τῇ τοῦ Πτολεμαίου παραδόσει ὡς ἀκριβεστάτῃ οὔσῃ.

| | |
|---|---|
| ♈ κριός. | Βροντῶδες καὶ χαλαζῶδες, ἰσημερινόν, ἄῤῥεν, ἡμερινόν, προστάσσον, ὀλιγοχρονίζον, ἡγεμονικόν, τετράπουν, χερσαῖον. |
| ♉ ταῦρος. | ἀμφοτέρας κράσεως. ὑπόθερμον γοῦν, στερεόν, θῆλυ, νυκτερινόν, προστάσσον, ὀλιγοχρονίζον, χερσαῖον, καὶ γεῶδες, μελοκοπούμενον, ἀνατέλλον ἐκ τῶν ὀπισθίων. |
| ♊ δίδυμοι. | εὔκρατον, δίσωμον, ἄῤῥεν, ἡμερινόν, προστάσσον, ὀλιγοχρονίζον, ἀνθρωποειδές, στειρῶδες. |
| ♋ καρκίνος. | ἔνυδρον, θερινόν, τροπικόν, θῆλυ, νυκτερινόν, προστάσσον, πολυχρονίζον δοῦλον, πολύσπορον. |
| ♌ λέων. | καυματῶδες καὶ πνιγῶδες, στερεόν, ἄῤῥεν, ἡμερινόν, προστάσσον, πολυχρονίζον ἡγεμονικὸν καὶ βασιλικόν. |
| ♍ παρθένος. | δίυγρον καὶ βροντῶδες, δίσωμον, θῆλυ, νυκτερινόν, προστάσσον, πολυχρονίζον, ἄγονον, ἀνθρωποειδές, διφυές. |

| | |
|---|---|
| ♎ ζυγὸς ἢ χῆλαι. | τρεπτικὸν ϛ μεταβλητικὸν, ἄῤῥεν, ἰσημερινὸν, ἀκοῦον, πολυχρονίζον ἀνθρωποειδὲς, πολύσπορον. |
| ♏ σκόρπιος. | βροντῶδες ϛ πυρῶδες, στερεὸν, θῆλυ, νυκτερινὸν, ἀκοῦον πολυχρονίζον, πολύσπορον, δουλικὸν. |
| ♐ τοξότης. | πνευματῶδες, δίσωμον, ἄῤῥεν, ἡμερινὸν, ἀκοῦον, πολυχρονίζον, διφυὲς καὶ δίμορφον, ὀλιγόσπορον, ἡγεμονικὸν. |
| ♑ αἰγοκέρως. | κάθυγρον, τροπικὸν, θῆλυ, νυκτερινὸν, ἀκοῦον, ὀλιγοχρονίζον, ἄγονον, γεῶδες, ὑποτακτικὸν, διφυὲς, ἀμφίβιον. |
| ♒ ὑδροχόος. | ψυχρὸν καὶ ὑδατῶδες, στερεὸν, ἄῤῥεν, ἡμερινὸν, ἀκοῦον, ὀλιγοχρονίζον, ἀνθρωπόμορφον, ὀλιγόσπορον, ὑποτακτικὸν. |
| ♓ ἰχθῦς. | ψυχρὸν καὶ πνευματῶδες, δίσωμον, θῆλυ, νυκτερινὸν, ἀκοῦον, ὀλιγοχρονίζον, πολύγονον, ὑδατῶδες, δίμορφον, δουλικὸν, πτερωτὸν. |

su planetæ in locum suum.

82 Cum figuræ æquales erunt nouilu nij aut plenilunij, horoscopum inspice: quæ si etiam æqualis fuerit, ad ferendã sententiam ne properes.

83 Tẽpus impetrationis, inter impetrã tẽ ac regẽ, affectionẽ indicat. Cathedra autem indicat ea, quæ actionis sunt.

84 Mars cum est ascendentis dominus tempore captæ possessionis, præestq; secundo loco, aut copulatur domino secundi, multum damnum afferet.

85 Cum ascendentis dominus secundi loci domino configurabitur, sponte princeps multas impensas faciet.

86 Sol est fons uitalis potentiæ, Luna naturalis.

87 Mẽsiũ cõuersiões fiũt ex dieb. uigintiocto, horis duab. ac minutis circiter decẽ et octo. Quidã aũt à peragratione Solis iudicãt, cũ partiliter exequatus est gradui ac minuto, qd in initio obtinet.

88 Cum partis fortunæ profectionẽ in toto reuolutionis anno facere uolumus, à Sole in Lunam, ac tantundẽ ab ascendente capimus.

Quæ

89 Quæ sunt aui, à loco septimo: quę autem patrui, à sexto uide.

90 Cũ dominator ascẽdens uiderit, res quæ occulta est, secundũ ascẽdẽtis naturã erit: ꝙ si nõ uidet illud, erit secũdũ naturã loci, in quo ipse est dominator. Et horę quidẽ dominus colorẽ eius, Lunę uerò locus tẽpus demonstrat. eritꝙ res noua, si supra terrã: sin sub terram, uetus. Fortunę pars quantitatem eius, longa'ne, an breuis sit, demonstrat. Dominus finium, imi ac medij cœli, item Lunę, substantiam eius demonstrat.

91 Malum signum est, cum ęgroti dominator combustus est, maximè si fortunę pars affligitur.

92 Saturnus orientalis non adeò nocet ægro, sicuti nec Mars occiduus.

63 Ex figuris nõ antè iudicabis, quàm cõiunctionẽ feceris. Principia enim in unaquaꝙ cõiunctiõe trãsmutant: quo circa ambas misceto, nec errabis.

94 Locus potẽtioris ex dominatoribꝰ. ea quæ in cogitatione scisitantis sunt, indicat.

95 Quæ cũ singulis oriuntur decurijs, ea nati

ea nati uoluntatem ad artem quam tractat comprobant.

96 Significantia eclipsis, decreta sunt eius quæ propius cardines. Considera etiam naturam stellarum simul consistentium, tum erraticarum, tum fixarum, ac etiam simulacra cooriẽtia, & secundum hæc pronuncia.

97 Res de qua est scisciratio, breui perficitur, cum nouilunij seu plenilunij dominus cardinalis est.

98 Traiectiones atq; crinitæ secũdas partes in iudicijs ferunt.

99 Traiectiones aëris siccitatem indicant: quæ si ad unam partem feruntur, ab angulo illo uentum indicant: sin in diuersas feruntur partes, aquarum imminutiones, aëris turbationes, & exercituum incursiones indicant.

100 Cometę, quorum intercapedo est undecim signorum à Sole, si apparuerint in cardinibus, regni alicuius rex, aut ex principibus regni aliquis morietur. Sin in loco succedente, bene se habebunt quæ thesauri eius sunt, suum tamen gubernatorem mutabit. Quòd

si in

si in loco declinante, morbi acrepenti
nę mortes erunt. At si ab occasu mouē
tur ad ortum, externus hostis regiones
incursabit: sin non mouentur,
prouincialis hostis
erit.

FINIS.

BIBLIOTECA N.A.Z.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ΚΛΑΥΔΙΟΥ

# ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΠΗ-

ΛΟΥΣΙΕΩΣ ΤΕΤΡΑΒΙΒΛΟΣ

*συνταξις, πρὸς Σύρον ἀδελφόν.*

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΚΑΡΠΟΣ,

*πρὸς τὸν αὐτὸν Σύρον.*

CLAVDII PTOLEMAEI PELV-

sienſis libri quatuor, compo-

ſiti Syro fratri.

*EIVSDEM FRVCTVS LIBRO-*

*rum ſuorum, ſiue Centum dicta, ad*

*eundem Syrum.*

INNVMERIS QVIBVS HVC-

uſque ſcatebant mendis,

purgati.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



## ΤΩΝ ΦΩΤΩΝ ΚΑΙ Ε ΑΣΤΕΡΩΝ ΣΥνοικειώσεις πρὸς τὰ δωδεκατημόρια, κατὰ τὸν Πτολεμαῖον.

| | φύσις. | αἵρεσις. | οἶκος. | τρίγωνον. | ὕψωμα καὶ ταπείνωμα | ὅρια. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ♄ | ψυκτικὸς καὶ ἠρέμα ξηραντικός. | ἀρσενικὸς ἢ ἡμερινός. | ♑ καὶ ♒ | ♊ ♎ ♒ ἡμέρας. | ♎ ♈ | ἀπὸ τῆς κϛ. τοῦ ♈. μοί δ. τοῦ ♉. κβ. μοί β. ♊. κϛ. μοί δ. ♋. κζ. μοί γ. ♌. μοί πρῶται ϛ. ♍. ιη. μοί ϛ. ♎. μοί πρῶται ϛ. ♏. κζ. μοί γ. ♐. ιθ. μοί ϛ. ♑. κδ. μοί ϛ. ♒. μοί πρῶται ϛ. ♓. κε. μοί ε. |
| ♃ | εὔκρατος μεταξὺ τοῦ ψυκτικοῦ καὶ τοῦ καυστικοῦ. | ἄῤῥην καὶ ἡμερινός. | ♐ καὶ ♓ | ♈ ♌ ♐ νυκτός. | ♋ ♑ | πρῶται τοῦ ♈. ϛ. ἀπὸ τῆς ♉. ιε. μοί ζ. ἀπὸ ♊. ζ. μοί ϛ. ♋. ϛ. μοί ζ. ♌. ιθ. μοί ϛ. ♍. ιγ. μοί ε. ♎. ιε. μοί η. ♏. ιγ. μοί η. ♐. μοί πρῶται η. ♑. ιβ. μοί ζ. ♒. η. μοί ε. ♓. η. μοί ϛ. |
| ♂ | ξηραντικὸς ἢ καυστικός. | ἀρσενικὸς ἢ νυκτερινός. | ♈ καὶ ♏ | ♋ ♏ ♓ | ♑ ♋ | ἀπὸ τῆς τοῦ ♈ κα. μοί ε. ♉. κδ. μοί ϛ. ♊. κ. μοί ϛ. ♋. πρῶται ζ. ἀπὸ ♌. κε. μοί ε. ♍. κδ. μοί ϛ. ♎. κδ. μοί ϛ. ♏. πρῶται ϛ. ♐. κε. μοί ε. ♑. ιη. μοί ε. ♒. κε. μοί ε. ♓. κ. μοί ε. |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ☉ | θερμαντικὸς καὶ ἠρέμα ξηραντικὸς. | ἄῤῥην καὶ ἡμερινός. | Ω | Υ Ω ♐ ἡμέρας. | Υ ♎ | οὐκ εἰσί. |
| ♀ | θερμαντικὴ καὶ ὑγραντικὴ. | θῆλυ ☾ νυκτερινή. | ♉ καὶ ♎ | ♉ ♍ ♐ ἡμέρας συνοικοδεσπότει καὶ τῷ τοῦ ♂. | Ϟ ♍ | ἀπὸ τῆς τοῦ Υ. ς. αἱ. η. ♉. πρῶται η. Π. ιγ. αἱ. ζ. ♋. κ, αἱ. ζ. Ω. ιγ. αἱ ς. ♍. ζ. αἱ. ς. αἱ. ε. ♏. ς. αἱ. ζ. ♐. η. αἱ. ς. ♐ πρῶται. ς. ♒. ιβ. αἱ η. Ϟ. αἱ πρῶται. η. |
| ☿ | ἀκατάστατος. | ἐπίκοινος. | Π ♍ | Π ♎ ♒ νυκτὸς. | ♍ Ϟ | ἀπὸ τῆς τοῦ Υ. ιδ. αἱ. ζ. ♉. η. αἱ. ζ. Π. πρῶται. ζ. ♋. ιγ. αἱ. ζ. Ω. ς. αἱ ζ. ♍. πρῶται. ζ. ♎. ια. αἱ. ε. ♏. κα. αἱ. ς. ♐. ιδ. αἱ. ε. ♐. ς. αἱ. ς. ♒. ς. αἱ. ς. Ϟ. ιδ. αἱ. ς. |
| ☾ | ὑγραντικὴ καὶ ἠρέμα θερμαντικὴ. | θῆλυ ☾ νυκτερινή. | ♋ | ♉ ♍ ♐ νυκτὸς συνοικοδεσπότει καὶ ᾧ τοῦ ♂. | ♉ ♏ | οὐκ εἰσί. |

ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΚΑΙ ΑΔΥΝΑΜΙΑΙ ΤΩΝ ΠΛΑνητῶν, αἱ δὲ μείζους κατὰ τάξιν προηγοῦνται, ἕπονται δὲ αἱ ἥττους.

| | | |
|---|---|---|
| οἶκος. | | ἄοικον. |
| τρίγωνον. | | ἀτρίγωνον. |
| ὕψωμα. | κατὰ τὰς δὲ τὰς κυρίας αἱ οἰκοδεσποτίαι λαμβάνονται τῶν ἐ πρὸς τοὺς τῶν φώτων τόπους, ὡς ἐν ταῖς ἐκλείψεσι μάλιστα καὶ πᾶσι συνόδοις τῶν φώτων θεωρεῖται. | ταπείνωμα. |
| ὅριον. | | ἔξορον. |
| συσχηματισμὸς πρὸς τὰ φῶτα, καὶ αἱ ἔγγυς συναφαὶ καὶ ἀπόρροιαι. | | ἀσυσχημάτιστον καὶ ἀσύνδετον καὶ ἀπηλλοτριωμένους. |

| | |
|---|---|
| τὸ ἀνατολικὸν, καὶ τὸ | τὸ δυτικόν. |
| προσθετικὸν ταῖς ἰδίαις κινήσεσι. | τὸ ἀφαιρετικόν. |
| μεσουράνημα. | |
| ἐπαναφορὰ τοῦ μεσουρανήματος. | μὴ οὕτω πως ἔχον. |
| ὁρίζων ἀνατολικός. | |
| ὑπόγειον μεσουράνημα. | |
| ὁρίζων δυτικός. | |
| τὸ ἰδιοπροσωπεῖν. | τὸ μὴ |
| τὸ λάμπειν ἢ ἰδιοθρονεῖν. | τὸ μὴ |
| τὸ χαίρειν. | τὸ μὴ |

Χαρακτῆρες τῶν πέντε πλανήτων, ἡλίου τε καὶ σελήνης.

♄ κρόνος. ♃ ζεύς. ♂ ἄρης. ☉ ἥλιος.
♀ ἀφροδίτη. ☿ ἑρμῆς. ☾ σελήνη.

ΜΕΤΑ ΔΕ ΤΑΥΤΑ, ΚΑΙ ΤΑ ΤΟΥ ΖΩΔΙΑΚΟΥ δωδεκατημόρια πινακικῶς ἐκθώμεθα, κατακολουθήσαντες, ὡς ἐν τοῖς πρότερον, τῇ τοῦ Πτολεμαίου παραδόσει ὡς ἀκριβεστάτῃ οὔσῃ.

| | |
|---|---|
| ♈ κριός. | Βροντῶδες καὶ χαλαζῶδες, ἰσημερινόν, ἄρρεν, ἡμερινόν, προστάσιον, ὀλιγοχρονίζον, ἡγεμονικόν, τετράπουν, χερσαῖον. |
| ♉ ταῦρος. | ἀμφοτέρας κράσεως. ὑπόθερμον γῇ, στερεόν, θῆλυ, νυκτερινόν, προστάσιον, ὀλιγοχρονίζον, χερσαῖον, καὶ γεώδες, μελοκοπούμενον, ἀνατέλλον ἐκ τῶν ὀπισθίων. |
| ♊ δίδυμοι. | εὔκρατον, δίσωμον, ἄρρεν, ἡμερινόν, προστάσιον, ὀλιγοχρονίζον, ἀνθρωποειδές, στειρῶδες. |
| ♋ καρκίνος. | εὔδιον ☉ θερινόν, τροπικόν, θῆλυ, νυκτερινόν, προστάσιον, πολυχρονίζον δοῦλον, πολύσπορον. |
| ♌ λέων. | καυματῶδες καὶ πνιγῶδες, στερεόν, ἄρρεν, ἡμερινόν, προστάσιον, πολυχρονίζον ἡγεμονικὸν καὶ βασιλικόν. |
| ♍ παρθένος. | δίυγρον καὶ βροντῶδες, δίσωμον, θῆλυ, νυκτερινόν, προστάσιον, πολυχρονίζον, ἄγονον, ἀνθρωποειδές, διφυές. |

| | |
|---|---|
| ♎ ζυγὸς ἢ χῆλαι. | τρεπτικὸν ϛ μεταβλητικὸν, ἄῤῥεν, ἰσημερινὸν, ἀκοῦον, πολυχρονίζον ἀνθρωποειδὲς, πολύσπορον. |
| ♏ σκόρπιος. | βροντῶδες ϛ πυρῶδες, στερεὸν, θῆλυ, νυκτερινὸν, ἀκοῦον πολυχρονίζον, πολύσπορον, δουλικὸν. |
| ♐ τοξότης. | πνευματῶδες, δίσωμον, ἄῤῥεν, ἡμερινὸν, ἀκοῦον, πολυχρονίζον, διφυὲς καὶ δίμορφον, ὀλιγόσπορον, ἡγεμονικὸν. |
| ♑ αἰγοκέρως. | κάθυγρον, τροπικὸν, θῆλυ, νυκτερινὸν, ἀκοῦον, ὀλιγοχρονίζον, ἄγονον, γεῶδες, ὑποτακτικὸν, διφυὲς, ἀμφίβιον. |
| ♒ ὑδροχόος. | ψυχρὸν καὶ ὑδατῶδες, στερεὸν, ἄῤῥεν, ἡμερινὸν, ἀκοῦον, ὀλιγοχρονίζον, ἀνθρωπόμορφον, ὀλιγόσπορον, ὑποτακτικὸν. |
| ♓ ἰχθῦς. | ψυχρὸν καὶ πνευματῶδες, δίσωμον, θῆλυ, νυκτερινὸν, ἀκοῦον, ὀλιγοχρονίζον, πολύγονον, ὑδατῶδες, δίμορφον, δουλικὸν, πτερωτὸν. |

# ΕΙΣ ΤΗΝ ΤΕΤΡΑΒΙΒΛΟΝ σύνταξιν Κλαυδίου Πτολεμαίου.

Κλαύδιος αἰθερίοις ἀποδημήσας ἐνὶ γύροις,
    φοιτήσας τε θρόνους πρὸς Διὸς οὐρανίους.
κᾶθι πολυπλανέων δύναμιν κατελήψατο φώτων,
    οἷσι μέγας λάμπει θεῶν δόμος ἀθανάτων.
ἠελίου θ' ὑπεριονίδεω, νυχίας τε σελήνης,
    τῶν θ' οἱ πέντ' ἄλλας ἄλλοτ' ἴασιν ὁδούς.
